



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Idea Theologiæ Specvlativæ

Petrus <a Sancto Josepho>

Coloniæ, 1648

Liber II. De Christo, Ubi De Mysteriis Trinitatis, & Incarnationis disseritur.

urn:nbn:de:hbz:466:1-38884

LIBER II.
DE CHRISTO;

U B I

De mysteriis Trinitatis, & Incarnationis
differitur.

CAPUT I.

De Processionibus Divinis.

RESOLUTIO I. *Ponenda est in Deo vera aliqua*
processio.] EST DE FIDE, tum contra Sabellia-
nos, seu Patripassianos, qui unam tantum personam
in Deo admittebant, sed diversa nomina; tum contra
alios hæreticos, qui olim docuerunt in Trinitate esse
tres personas essentialiter distinctas, ac proinde tres
Deos: Neutri enim veram aliquam processionem in-
ternam in Deo agnoverunt; non quidem priores,
quia una persona non potest procedere à seipsa; non
etiam posteriores, quia si persona procedens accipit
diversam essentiam, jam processio non fit ad intra,
sed ad extra, sicut processio creaturarum.

Probatur autem primò ex Scriptura quæ Ioan. 8.
meminit processionis Christi à Deo Patre, & cap. 15.
Processionis Spiritus sancti ab eodem: Verba autem
Scripturæ propriè sunt accipienda, quando nihil co-
git, ut ea ad metaphoras transferantur; atq; ita Scri-
pturam intellexerunt semper sancti Patres, & uni-
versalis Ecclesia, quæ recipit illud Athanasii in Sym-
bolo, Filius à Patre solo est, non factus, nec creatus,
sed genitus: Spiritus sanctus à Patre & Filio, non fa-
ctus, nec creatus, nec genitus, sed procedens.

Secundò idem probabiliter ostenditur, similitudi-
ne sumpta ab intellectu & voluntate creata, ex quo-

rum priori procedit verbum, ex posteriori amor. Cui enim Deus sit intellectu, & voluntate præditus, easdem processiones habere debet; cumque sit infinitus, terminus earum debet esse infinitus, ac proinde Deus. Imò cum nequeat esse nisi unus Deus, sequitur personam quæ producit, & eam quæ producitur debere esse unum & eundem Deum.

Dices, rationem illam non concludere, quia intellectus noster producit verbum, ut per illud intelligat: at Deus intelligit per notitiam essentialem, & ingenitam; quare in eo frustra ponitur processio Verbi. *Respondeo* id non sequi, nam esto intellectus divinus, utpote summè actualis, non indigeat notitia genita, ut intelligat, cum tamen sit summè perfectus, hinc colligi potest, eum esse infinitè fecundum; atque adeò per illum produci notitiam infinitam, non quidem ut perfectionem aliquam acquirat, sed potius ut perfectionem suam communicet. Sic enim, detractis creaturarum imperfectionibus, id solum Deo tribuimus, quod ad perfectionem simpliciter pertinet: nimirum habere vim productivam, non ex indigentia, sed ex abundantia, & perfectionis plenitudine. Verùm ut nonnullas hæreticorum objectiones solvas, quæ contra prædictam resolutionem militare videntur.

Nota 1. Filium Dei interdum à Patribus vocari aucthotheon, quia non est precariò Deus, seu ex gratia & liberalitate Patris, sed eadem necessitate divinitatem à Patre accipit, tanquam sibi naturaliter debitam, qua Pater eam à seipso habet. Filius etiam dicitur Jehova, seu fons essendi, non quod non procedat ab alio, sed quia habet eandem naturam, & potentiam Patris à qua, ut à fonte essendi, omnia procedunt, cum ipsa à nullo sit. Quare potest dici fons de fonte, sicut dicitur Deus de Deo, lumen de lumine.

Nota 2. Non esse perfectius esse à se, quàm esse ab alio quoad naturam indistincto, qua ratione una persona divina est ab alia; hoc enim non arguit dependen-

pendentiam, aut causalitatem, cum persona procedens accipiat eandem naturam independentem, & incausatam personæ producentis, idque omnimoda necessitate. Unde ex omnium Patrum sententia, in Deo non minoris perfectionis est, esse Filium, quàm esse Patrem.

RESOLUTIO II. *Processiones divinae non sunt immediate per essentiam divinam, ut essentia est, sed per intellectum & voluntatem.*] EST COMMUNIS contra Durandum, probaturque primò ex Scriptura, quæ secundam Trinitatis personam vocat Verbum, & tertiam Amorem, seu charitatem; at verbum procedit per intellectum, & amor per voluntatem.

*Probat*ur secundo, nam de fide est, processionem Filii esse origine priorem processione Spiritus sancti, illam esse generationem, non istam; Spiritum sanctum non solum à Patre, sed etiam à Filio procedere, ac denique non esse in Deo nisi duas processiones; ista autem non haberent locum, si processio fieret per essentiam à voluntate, & intellectu præcisam. Contra verò prædicta facile intelliguntur, posito quòd una persona producat per intellectum, alia per voluntatē, ut consideranti perspicuum fiet.

Et quidem processionem Filij esse priorem processione Spiritus sancti, ex eo intelligitur; quia cognitio præcedit volitionem, nihilque est volitū, quin præcognitum. Deinde concipimus Filium generari, non Spiritum sanctum; quia quod procedit per intellectum, procedit ut simile, ex vi suæ processionis, nō quod procedit per voluntatem, ut postea dicemus. Præterea cum Filius sit prius origine productus quàm Spiritus sanctus, inde habemus, quòd possit concurrere ad productionem illius, quia in eo priori accipit à Patre potentiam spirativam, simul cum divinitate. Denique non esse in Deo nisi duas processiones, ex eo deducimus, quia non sunt in illo nisi duo principia productiva ad intra, nempe intellectus, & voluntas.

Dices,

Dices, si Filius procederet per intellectum, ipsa intellectio esset illius productio: at hoc dici non potest; quia cum in tota Trinitate sit eadem intellectio, omnibus personis competeret Verbi productio, adeoque omnes Verbum producerent; quia nequit concipi, quod productio activa alicui competat, & is non producat.

Nonnulli respondent, intellectionem non esse ipsam productionem Verbi, sed potius principium quo productionis ipsius. Licet autem repugnet, alicui convenire productionem actualem, & ab illo non produci terminum productum; fieri tamen posse, ut aliquid habeat principium productivum, & nihil producat.

Verum hæc responsio non caret difficultate, quia cum Verbum procedat per intellectum, oportet ut actio quædam intellectus sit illius productio: at nulla est actio intellectus, quæ non sit intellectio, ergo intellectio aliqua est ipsamet Verbi productio. Itaque pro responsione. *Nota*, intellectionem divinam spectari posse dupliciter. 1. Ut est nuda objecti cognitio. 2. Ut habeat adjunctam relationem producentis ad productum: & priori modo non esse productionem, sed tantum posteriori: qua ratione non est nisi in solo Patre: unde solus Pater producit Verbum, etsi tres personæ eandem intellectionem habeant: & idem dic de volitione, proportionem servata.

RESOLUTIO III. *In Deo ponenda sunt duæ processiones, non plures.*] **PRIOR PARS** est de fide, ut patet ex dictis. Nam Scriptura aperte loquitur de processione Filii, & Spiritus sancti, de qua etiam agunt Patres & Concilia; quare sicut Filius, & Spiritus sanctus sunt duo procedentes, ita & duæ processiones necessario admitti debent: imò quia Filius & Spiritus sanctus sunt duæ personæ realiter distinctæ, hinc rectè colligitur passivam unius processionem realiter distinguere à passiva processione alterius.

Neque

Neque refert, quòd intellectus, & voluntas in Deo non distinguantur realiter, sufficit enim distinctio virtualis, ut ab iis termini realiter distincti procedere possint. Ad eum modum quo anima rationalis, eminenter tantum continens sensitivam, & vegetativam, producit utriusque effectus.

Posterior pars est etiam de fide, probaturque 1. Quia in Deo sunt tres personæ, Pater, Filius, & Spiritus sanctus, quarum prima à nulla procedere potest, secunda procedit à prima, tertia à prima & secunda: sicut ergo sunt tantum duæ personæ procedentes, ita & duæ processiones duntaxat, si enim plures essent, cõsequenter essent plures personæ quàm tres, quod fidei repugnat.

Probatur 2. Nam in Deo sunt tantum duo principia ad intra, nempe intellectus & voluntas, ea enim tantum reperiuntur in substantia spiritali, cum actio sensuum, etsi immanens, non sit nisi in subiecto materiali: At quodlibet ex dictis principiis unum duntaxat terminum habere potest, ergo duæ tantum processiones ab illis esse possunt. Probatur minor, nam sicut intellectus divinus propter suam infinitam perfectionem, unico actu simplicissimo cognoscit suum objectum quantum cognoscibile est, ita producit notitiam tam perfectam, quanta esse potest talis objecti cognitio; & similiter, quia divina voluntas est infinite perfecta, sicut amat suum objectum quantum amabile est, ita producit amorem adæquantem amabilitatem objecti. Unde neque aliud verbum restat producendum per intellectum, neque alius amor spirandus per voluntatem: & ita duæ tantum sunt processiones, alia per intellectum, alia per voluntatem.

Nota, non posse sumi tertiam processionem internam ab omnipotentia, quia hæc ut condistinguitur à potentia notionali, est principium productivum ad extra; nec verbum posse multiplicari, quia quod à Patre producitur, cum sit infinite perfectum, exhaurit
totam.

totam potentiam productivam intra lineam intellectus. Unde etsi Filius intelligat, non tamen producit verbum; quia intelligit per eandem intellectiōem Patris, quæ suum terminum adæquatam jam habet in Filio.

Nec refert quòd producat amorem; recipit enim à Patre fœcundam voluntatem, quæ in eo priori terminum suum non habet; cum Filius non producat per voluntatem, sed per intellectum: quare non mirum, quòd simul cum Patre producat Spiritum sanctum.

RESOLUTIO IV. *Processio Verbi divini est vera generatio.*] EST CERTA ex fide, ut satis colligitur, tum ex supradictis, tum ex verbis illis *Ioannis 1.* Unigenitus qui est in sinu Patris ipse enarravit. Difficile tamen est veram hujus rei rationem assignare: quidam dicunt Verbum generari, & procedere ut Filiū, quia eandem naturam quam accipit à Patre, potest alteri communicare. Sed hoc gratis asseritur, si enim nulla esset vera generatio in creatis, cum nulla res creata possit alteri communicare eandem naturam quam ab alio accepit.

Dices, ad generationem sufficere & requiri, quòd res genita possit communicare eandem numero, aut specie naturam. Sed contra hoc est; tum quia sic mulus, cum nequeat generare sibi simile, non esset propriè ab asino genitus; tum quia si, ut quis dicatur ab alio genitus, requiritur ut possit communicare eandem numero, aut specie naturam, cur non etiam necesse erit, ut possit eam communicare per veram generationem? Atque ita sequetur Verbum divinum propriè non generari, nec esse Filium.

Alii id probant, quia actualis intellectio est de formalissimo conceptu essentia Dei: unde communicatio intellectiōis formalis, est communicatio essentia divina, adeoque vera generatio: cum ergo Verbum divinū procedat, ut terminus intellectiōis actualis, consequenter illius processio est vera generatio.

ratio. *Verum* hic dicendi modus supponit fundamentum aliàs rejectum, de formali constitutivo divinæ essentiæ, breviterque refellitur; quia quoad rem ipsam, actualis intellectio, non magis spectat ad formale constitutum divinæ naturæ; quam actualis volitio, aliaque attributa essentialia: quare si ob rationem allatam Verbi productio esset generatio, idem dicendum esset de processione Spiritus sancti.

Vera igitur ratio est, quia ad generationem propriè dictam, ut est in viventibus, tria requiruntur. 1. Ut producat vel totam suam substantiam, vel partem illius alteri communicet. 2. Ut quod producat, sit simile producenti in natura numerica, aut saltem specifica. 3. Ut procedens sit simile producenti formaliter ex vi suæ processionis, istæ autem conditiones reperiuntur in generatione Verbi: prima quidè, quia Pater totam substantiam divinam illi communicat. Secunda verò, quia Verbum est simile producenti in natura, non modo specifica, sed etiam numerica. Tertia denique, quia cum intellectio sit formalis similitudo rei intellectæ, eo ipsò quod Pater seipsum intelligendo producat Verbum, processio Verbi ex sua ratione formali habet, quòd sit similitudo principii generantis; cumque ea intellectio sit summè & infinitè perfecta, per eam formaliter producat terminus, suo principio summè & infinitè, adeoque substantialiter similis; cujus proinde productio, ex sua ratione formali, est vera generatio.

Dices 1. Quod procedit per intellectum ut sic, procedit tantum ut simile, secundum esse objectivum, adeoque non generatur. *Respondeo* distinguendo antecedens, nam etsi quod procedit per intellectum creatum, non procedat ut simile in natura, sed tantum in ratione cujusdam vitalis representationis objecti; quod tamen procedit per intellectum divinum, non se habet ut imago accidentalis, sed ut substantialis, & per se subsistens. Hoc autem sufficit ad
veram

veram generationem, ut patet ex dictis; & à fortiori inde etiam colligitur, quia si ex hypothese impossibili, Angelus aliquis se intelligendo, alium Angelum distinctum numero produceret, illa productio esset vera generatio: quia esset origo viventis, à vivente conjuncto in similitudinem naturæ specificæ.

Dices 2. Quod generatur, debet procedere ut simile principio generanti: at quod procedit per intellectum, non procedit simile principio producenti, sed objecto; ergo non generatur. *Respondeo* negando minorem, nam ut intellectus concurrat ad intellectionem objecti, debet esse informatus specie illius; adcoque si terminus productus est similis objecto, est etiam similis intellectui producenti.

RESOLUTIO V. *Processio Spiritus sancti non est vera generatio.* EST DE FIDE, ut satis patet ex dictis; eam autem probant aliqui, quia ut processio Spiritus sancti esset vera generatio, ille deberet procedere à duobus, tanquam à patre & matre; sed hoc gratis dicitur, quia sicut per accidens est ad veram generationem, quod genitum procedat à duobus, ut patet ex generatione Verbi, ita per accidens est, quod procedat à duobus tanquam à patre, & matre.

Alii probant, quia natura divina non communicatur Spiritui sancto formaliter ex vi processionis, sed tantum volitio, quæ est quadam proprietas consequens naturam jam constitutam; hoc etiam non placet, quia patet ex dictis, volitio non minus spectat, quoad rem ipsam, ad constitutionem intrinsecam naturæ divinæ, quàm quodvis aliud attributum. Quod autem juxta conceptum nostrum, ad eam non pertineat, id nihil refert, cum idem de ipsa intellectione dici possit.

Alii probant, quia Spiritus sanctus etsi procedat in natura, ut similis suo principio, non tamen procedit ut imago; amor enim nec amantis, nec objecti amati imago est. Sed contrà, nam ad generationem sufficit, ex communi sententia, processio viventis à vivente
in simi-

in similitudinem naturæ, neque requiritur talis similitudo, quæ pertingat ad rationem imaginis.

Dicendum ergo veram hujus rei causam esse, quia illud est discrimen inter intellectum, & voluntatē, quod intellectus ex se sub præcisa ratione intellectus, producit objecti similitudinem, adeoque infinite perfectam, si sit infinite perfectus: at voluntas in ratione voluntatis, non habet vim producendi similitudinem objecti, sed tantum vitalem quandam propensionem in illud; quare etsi magis ac magis in infinitum perficiatur, ea ex propria & formalissima ratione, nunquam poterit eò pertingere, ut producat terminum perfectè similem objecto, vel principio producenti: adeoque si talem producat terminum, id aliunde habebit, & consequenter illius termini productio non erit vera & propriè dicta generatio: eo quod ad veram generationem requiritur, ut terminus productus sit similis in natura principio producenti, formaliter ex vi suæ processionis: Cum ergo Spiritus sanctus procedat per voluntatem divinam, mirum non est quod formaliter ex vi suæ processionis, non procedat ut similis principio producenti, ac proinde illius processio non sit vera generatio; esto ex alio capite perfectam similitudinem habeat in natura, cum Patre, & Filio à quibus procedit.

Dices. Etsi Spiritus sanctus non procedat ut similis, quatenus procedit per voluntatem; procedit tamen ut similis, quatenus illius processio est per voluntatem divinam. Ergo hoc sufficit ut processio illius vera sit generatio; Sequela patet, quia processio Filii non est generatio, nisi quatenus est ab intellectu divino, ut sic. *Respondeo* antecedens ita esse intelligendum, ut Spiritus sanctus procedat similis, non formaliter vi suæ processionis, ut est à voluntate divina, tanquam à principio: sed materialiter seu identicè, quatenus quod producitur per voluntatem divinā, producitur veluti in natura divina, in qua nihil potest produci, quod cum ea summè non identificeatur, quodque proinde non sit Deus. *Dices*

Dices 2. Vel Spiritus sanctus habet per accidens, quod procedat ut similis principio producenti, vel id habet formaliter, & per se, ex vi suæ processionis: at prius dici non potest, quia alioqui sequeretur, Spiritum sanctum esse Deum per accidens duntaxat, quod dici non potest. Ergo posterius verum est, adeoque processio Spiritus sancti est vera generatio. *Respondeo* non convenire per accidens Spiritui sancto, quod procedat ut similis in eadem numero natura, neque etiam per se, ut procedit per voluntatem divinam, sed per se quatenus est processio in natura divina.

CAPUT II.

De relationibus Divinis.

RESOLUTIO I. *In Deo ponenda sunt relationes reales.*] EST DE FIDE, probaturque 1. ex Scriptura, quæ agit de personis divinis sub nominibus relativis Patris, Filij, & Spiritus sancti. At nulla ratio est cur dicamus ea propriè illis non convenire. *Confirmatur*, nam usurpantur in forma baptismi: debent autem formæ Sacramentorum sumi in propria significatione, & speciatim baptismus, cum sit Sacramentum fidei, seu veluti prima fidei professio, debet constare verbis propriis, quæ nobis personas divinas sub vera aliqua & propria ratione representent, ne fides nostra deceptioni obnoxia sit.

Probatur 2. Nam inter producens, & productum, ejusdem ordinis, est vera & realis relatio, ut patet ex Philosophia; at in divinis una persona producit aliã, ergo inter illas est vera relatio principii producentis, ad terminum productum, & termini producti, ad principium producens. *Confirmatur*, nam personæ divinæ inter se non possunt distingui realiter, nisi per aliquid relativum, siquidem quoad absoluta planè idem sunt: ergo cum fides doceat, in Deo tres esse personas realiter distinctas, consequenter fatendum est in

est in eo esse relationes reales, per quas constituantur, & distinguantur.

Hoc autem ita intelligendum, ut relationes illæ sint reales, non tantum quatenus identificantur cum essentia divina, sed etiam quatenus inter se distinguuntur, secundum proprias rationes relativas; cum enim personæ divinæ realiter inter se distinguantur, idque per relationes, essentia enim una est in omnibus, consequens est ejusmodi relationes sub proprio conceptu relationum, seu ut dicunt ad, esse verè reales.

Nota 1. Eam esse relationem rationis, quæ ex operatione, seu cognitione intellectus resultat in objecto cognito, non autem eam quæ consequitur opus intellectus, in ipso intellectu, ut realiter producente suum terminum; ista enim est realis.

Nota 2. Quod relatio divina cum non sit accidens sed substantia perfectissima, non debet supponere subjectum cui inexistat, aut fundamentum à quo pendeat. Unde etiam non debet supponere distinctionem extremorum, quæ per illam referuntur, sed potest ipsa talem distinctionem primò constituere.

Nota 3. Ex positione relationum in Deo, non bene colligi dependentiam unius personæ ab alia; quia persona producens & producta habent eandem naturam independentem, & à se existentem. *Nec refert* quod dici solet, relata à se mutuo pendere, sensus enim est, unum inferre aliud, seu uno posito, aliud poni; quod sine propria dependentia fieri potest.

Nota 4. Etsi Pater ut principium Filij, realiter ad illum referatur, Deum tamen ut principium creaturarum, realiter ad illas non referri. Et ratio discriminis est, quia Filius est ejusdem ordinis cum Patre: at creaturæ infinitè à Deo distant.

RESOLUTIO II. *In Deo sunt quatuor relationes reales, nempe Paternitas, Filiatio, spiratio activa, & passiva, non autem plures.* **PRIOR PARS PROBATUR** ex dictis; nã in Deo sunt duæ processiones, alia
per

per intellectum, alia per voluntatem, per primam procedit Filius à Patre, per secundam Spiritus sanctus à spiratore. Quare in Deo sunt quatuor reales relationes ante memoratae.

Nota, etsi in Deo sint quatuor relationes, non propterea in eo poni quatuor res. Et cum dicitur, multiplicato inferiori, multiplicatur superius, respondendum id verum esse, quando inferius multiplicatur ratione alicujus intrinseci, non autem si multiplicetur propter aliquid extrinsecum, ut hic contingit; quatenus eadem entitas quae respiciebat Filium, jam respicit Spiritum sanctum, tanquam terminum distinctum à Filio; unde paternitas, & spiratio activa sunt duae relationes, & unica res.

Posterior pars suadetur etiam ex dictis, nam relationes divinae sequuntur ex processibus, quae tantum sunt duae, altera per intellectum, altera per voluntatem; cuilibet autem processioni respondent duae relationes tantum, priori quidem paternitas & filiationis, posteriori vero spiratio activa & passiva; unde sequitur relationes divinas esse duntaxat quatuor.

Dices, in Deo adhuc esse alias relationes, nimirum identitatis, & aequalitatis, & similitudinis. Verum istae relationes non sunt reales, sed rationis duntaxat, cum non habeant fundamentum realiter distinctum. Una siquidem persona est idem cum alia, & aequalis, ac similis illi ratione ejusdem naturae divinae, quae est in omnibus.

RESOLUTIO III. *Relationes divinae inter se distinguuntur realiter.* EST DE FIDE, probaturque ex Concilio Toletano undecimo, in confessione fidei, ubi dicitur, in relatione personarum numerum cerni; & postea habentur verba illa, hoc solo numerum insinuant, quod ad invicem sunt, & in hoc numero carent, quod in se sunt. Item ex Florentino *sessione 18.* ubi Joannes Theologus ait ex sententia omnium Graecorum & Latinorum, solam relationem divina processione personas multiplicare, ita scilicet

ut non

ut non alia ratione quàm vi relationis, una persona distinguatur ab alia.

Ex quibus aliisque similibus sic argumentari possumus 1. Ea quæ faciunt numerum, distinguuntur realiter, atqui relationes divinæ faciunt numerum, ergo, &c. *Confirmatur*, nam ideo essentia divina non facit numerum cum relatione, quia ab ea realiter non distinguitur. 2. Ea distinguuntur realiter, quæ constituunt personas realiter distinctas, relationes divinæ hoc faciunt, ergo, &c. *Confirmatur*, nam persona non distinguuntur per essentiam, ergo per relationes, quæ proinde inter se distingui debent.

Nota tamen 1. Spirationem activam etsi realiter distinguatur à spiratione passiva, non ita distingui à paternitate, aut filiatione, ut patet ex communi sententia, contra Durandum; tum quia in divinis omnia sunt unum, nisi ubi obviat relativa oppositio: tum quia in Deo non est quaternitas rerum, ut statutum est in Conc. Lateran. referturque in capite, *Damnamus*, De summa Trinitate: tum denique, quia qualibet persona divina est omnino simplex, cujus oppositum sequeretur, si spiratio activa, quæ est in Patre & Filio distingueretur realiter à paternitate, & filiatione.

Nota 2. Quod etsi propositio illa paternitas est spiratio activa, à Theologis admittatur in sensu identico, quatenus paternitas & spiratio activa sunt unica res simplicissima, etsi sint duæ relationes; ea tamen communiter negatur, quia si una relatio diceretur de alia, periculum esset ne confunderentur earum termini, qui tamen sunt realiter distincti.

Sed contra hæc dices 1. Eodem modo distinguuntur relationes, ac earum termini: at terminus spirationis activæ realiter distinguitur à terminis paternitatis, & filiationis; ergo & spiratio activa realiter distinguitur à paternitate, & filiatione. *Respondeo* majorem incertam esse in creatis, cum multi existiment, relationem predicamentalem non nisi ratione distingui à fundamen-

damento. Et quamvis in iis certa esset, nihil in Deo concluderet: quia cum Deus sit infinite perfectus, sicut per eandem entitatem intelligit, & vult; ita per eandem est Pater & spirator.

Dices 2. Quando unum absolutum idem est cum alio absoluto, illud etiam idem est, cum omni absoluto ei identificato. Ergo similiter si paternitas, & filiatio idem sunt cum spiratione activa, idem etiam erunt inter se; quod tamen dici non potest. *Respondet* non sequi, & ratio discriminis est, quia unum absolutum identificatum cum tertio, non habet oppositionem cum aliis absolutis, ut patet in attributis divinis, quæ cum essentia identificantur, & inter se: at verò relata, non obstante identificatione cum tertio relativo communi, inter se opponi possunt, ut hinc contingit; & hoc sufficit ut inter se distinguantur.

RESOLUTIO IV. *Relationes divinae non distinguuntur actu ab essentia, imò ex probabiliori sententia, videntur esse de quidditate illius. sicut vice versa essentia divina est de essentia relationum.*] **PRIMA PARS PROBATUR,** tum quia distinctio actualis repugnat summæ simplicitati Dei, ut patet ex aliis dictis; tum quia natura divina est illimitata, adeoque sibi identificat perfectiones omnes, cum quibus oppositionem non habet; cujusmodi sunt relationes personales, quæ licet inter se opponantur, non tamen opponuntur essentia: illud autem vulgare, quæ sunt eadem uni tertio, sunt eadem inter se, non habet locum quando agitur de rebus inter se oppositis, ut hinc contingit, si quidem identificatio cum tertio, non destruit naturam identifierum.

Secunda pars ostenditur, Primò, quia adequatum constitutivum Dei est ipsum esse infinitum, & illimitatum in omni genere perfectionis possibilis, ut alibi diximus; hoc autem implicite involvit omnes perfectiones, tam absolutas quàm respectivas in Deo possibiliter existentes, *Confirmatur,* nam quòd divina
essentia

essentia sit Trinitas personarum, haud dubiè est maxima perfectio; ergo hoc illi debet competere essentialiter: aliàs non esset essentialiter infinite perfecta, sed tantum identicè.

Secundo, si divina essentia non includeret essentialiter personalitates, sequeretur eam non subsistere per aliquid sibi essentialè, seu non habere ex propria & essentiali ratione, quòd subsistat; sequela patet, quia ex communiore sententia de qua inferius, non datur in Deo ulla subsistentia absoluta, sed tantum tres relativæ per quas Deitas subsistit in tribus personis.

Tertiò, ad hoc præsertim moveor, quia nihil ferè contra hanc partem objicitur, quod æquè non possit in adversarios retorqueri, siue quatenus docent essentiam, & relationem esse unam entitatem simplicissimam, siue quatenus ajunt essentiam esse de conceptu relationis. Quomodo enim potest Pater communicare essentiam, non paternitatem, si essentia & paternitas non sunt duæ entitates distinctæ, sed una simplicissima? Quomodo Pater prius origine quàm generet Filium est completè Deus, si filiatio est realiter, & omninò identicè ipsa divinitas? Quomodo non est verum, divinitatem generare & generari, si paternitas & filiatio, ab ea nullo modo distinguuntur nisi per rationem? Quomodo potest relatio modificare, & veluti determinare essentiam, si ipsa essentia includitur in formali conceptu relationis? Ista sane & similia ab omnibus explicanda sunt per distinctionem virtuales, quæ intra ipsam essentiam Dei poni solet. Quare cum aliunde resolutio proposita ad majorem perfectionem divinitatis conducat, non immeritò ut probabilior amplectenda est.

Tertiapars suadetur, nam quidquid est in Deo, est Deus, ut vulgò docent Theologi, ergo quælibet relatio divina est Deus; At Deus est id quo nihil melius aut perfectius excogitari potest; quare relatio

debet includere deitatem, etiam essentialiter; cum hoc sit perfectius, quam illam includere tantum indentice. *Confirmatur*, nam ratio divina, ut sic, dicit essentialiter modum essendi perfectissimum, atqui modus essendi perfectissimus relationis est, ut explicitè dicat perfectionem respectivam infinitam, implicitè vero involvat omnem perfectionem absolutam.

RESOLUTIO V. *Relationes divina sub proprio & formali conceptu relationum, dicunt perfectionem.*] **PROBATUR PRIMO**, quia quod dicit entitatem, dicit perfectionem, ratio in Deo dicit entitatem, ergo & perfectionem: Major patet ex Metaphysica, nam ens & bonum convertuntur, bonum autem & perfectum idem sunt: probatur minor, nam Pater, verbi causa, distinguitur à Filio per aliquid, ergo per entitatem; ergo cum distinguatur per paternitatem, ut sic, hæc dicit perfectionem aliquam realem verè Patri competentem.

Probaturs secundo, nam illud est perfectum, per quod constituitur persona in ratione personæ, ex S. Thoma 1. p. qu. 29. art. 3. at persona divina constituitur in ratione personæ per relationem, ut infra dicemus, ergo ratio divina, ut sic, dicit perfectionem. *Confirmatur*, quia quod Deitas sit subsistens, est magna perfectio, at non est subsistens, nisi per tres subsistentias relativas, ut inferius dicetur.

Probaturs 3. Nam illud dicit perfectionem, cuius privatio affert imperfectionem: at Deus esset imperfectus, si in eo relationes non essent; sic enim non esset in Deo Trinitas personarum, adeoque nec Pater, nec Filius, nec Spiritus sanctus; sic divinitas non identificaretur tribus suppositis realiter distinctis quæ summa & infinita est perfectio: sic Deus non esset fecundus, nihilque posset producere ad intra, sive per intellectum, sive per voluntatem &c.

Nota 1. Quod sicut paternitas est entitas distincta à filiatione, ita perfectio paternitatis, ut sic, distinguitur à perfectione filiationis, Cum tamen essentia divina,

divina, quæ omnes perfectiones etiam relativas includit, sit in singulis personis, & quælibet persona sit in aliis per circuminfectionem, de qua infra. Hinc absolute dici non potest aliquam perfectionem esse in una persona, quæ non sit in aliis.

Nota 2. Relationes præcisè spectatas dicere tantum perfectionem infinitam in suo genere, paternitatem in ratione paternitatis, & sic de aliis: absolute verò, & ut sunt à parte rei dicere perfectionem simpliciter, & in omni genere infinitam: siquidem quælibet includit essentiam divinam, in qua omnes perfectiones, tam absolute, quàm respectivæ formaliter continentur.

Unde si quis dicat, divinas relationes veluti distinguere specie, quæ autem specie distinguuntur non posse esse æqualis perfectionis: Respondetur id ut summum verum esse de iis, quæ ita distinguuntur inter se, ut nihil habeant commune per quod ejusmodi inæqualitas tollatur; ejus oppositum contingit in relationibus divinis, propter summam identitatem, quam habent cum essentia divina.

CAPUT III.

De Personis divinis in genere.

RESOLUTIO I. *Ratio personæ, eaque realis & positiva ponenda est in Deo.* PRIOR PARS est de fide, ut patebit ex infra dicendis de ternario Personarum numero; est etiam nota lumine naturali, sive in Deo una sit tantum persona, sive plures, de quo postea: *Probat*ur, nam cuicumque competit definitio, competit definitum, atqui definitio personæ Deo competit, ergo & persona. Minor suadet, siquidem persona, ex Boëtio, vulgò definitur, rationalis naturæ individua substantia, seu ut aliqui clarius explicant, substantia intellectualis, completa, singularis, & per se subsistens; hæc autem omnia reperiuntur in Deo, ut per se notum est, cum ipse non sit accidens, sed substantia, eaque intellectualis.

non materialis; completa, non incompleta, ut anima rationalis; singularis, non universalis: denique per se subsistens, non in alio, ut humanitas Christi quæ licet sit substantia singularis & individua, non est tamen persona, quia non est per seipsam, sed in Verbo subsistit: cum ergo in his consistat ratio personæ, dicendum est ejusmodi rationem Deo competere.

Unde communiter à Theologis reprehenditur Laurentius Valla quod dixerit, nomen personæ non significare substantiam, sed qualitatem; eò quod una & eadem substantia dicitur gerere plures personas, ac proinde in Deo non magis esse personam, quam in brutis. Qua in re graviter erravit prædictus grammaticus, cum frequenter apud Scriptores sacros, & interdum apud prophanos, persona sumatur pro substantia; licet non raro qualitatem significet.

Nota, non requiri ad rationem personæ, quod ipsa substantia quæ est personata, non possit verè alteri personæ communicari, sed tantum quod quatenus una personalitate affecta est, & jam constituitur in ratione personæ, non possit ab altera personalitate ulterius compleri, & terminari. Licet autem substantia quæ est in Patre, communicetur Filio, non tamen quatenus affecta est paternitate, adeoque, ut sic constituit personam Patris distinctam à persona Filii.

Posterior pars ostenditur, nam in primis Pater est persona realiter distincta à persona Filii, ergo per aliquid reale, non per essentiam, ergo per ipsam personalitatem, & sic personalitas seu constitutum personæ est quid reale, non mera negatio. Accedit quod infra ostendemus, personas divinas constitui per relationes, quas esse entia realia patet ex supradictis. Denique ex probabiliore Philosophorum sententia suppositum in creatis non consistit formaliter in negatione, sed est positiva quædam entitas, seu modus
realis

realis naturæ superadditus. Idem autem est dicendū de persona, quæ nihil aliud est quàm suppositum naturæ intellectualis; Quod si in creatis suppositivitas, seu personalitas est aliquid reale & positivum, à fortiori idem concedendum est in divinis.

Nota personam in divinis à parte rei constitui per relationem, ut infra dicitur, adeoque nomen personæ significare naturam divinam affectam relatione, esto audito nomine personæ, nobis explicitè non obijciatur personalitas ut relativa, sed per modum cujusdam formæ absolutæ, qua fit ut persona subsistat incommunicabiliter.

RESOLUTIO II. *In Deo ponenda sunt tres personæ.*] EST DE FIDE, ut patet ex Scriptura, Conciliis, & Patribus: sufficiat autem illud notare ex Symbolo Athanasii, alia est enim persona Patris, alia Filii, alia Spiritus sancti; & illud ex Concilio Later. relatum *in cap. firmiter*. Pater, Filius, & Spiritus sanctus, tres quidem personæ, sed una essentia. *Ratione* idem ostenditur, supposita veritate fidei, quæ docet in Deo esse Patrem, & Filium, & Spiritum sanctum: cum enim inter se distinguantur realiter, non ratione essentiæ, quæ unica omnium est, consequens est ut distinguantur ratione subsistentiarum, adeoque sint tria supposita realiter distincta. Rursus cum illa sint supposita naturæ intellectualis, sequitur Patrem, Filium, & Spiritum sanctum esse tres personas realiter distinctas: eò quòd persona nihil aliud est, quàm naturæ intellectualis individua substantia.

Quæres; an hæc personarum Trinitas possit, seclusa revelatione, à creato intellectu sibi relicto investigari, & cognosci: *Respondeo* primò, non posse à tali intellectu evidentè cognosci, ut Patres colligunt ex verbis illis *Matthæi 11*. Nemo novit Filium nisi Pater, & ex illis *cap. 16*. Caro & sanguis non revelavit tibi. *Accedit* ratio, quia ut ait S. Thomas *1. p. q. 32. art. 1*. Deum naturaliter cognoscimus per effectus:

at nullus effectus quantumvis perfectus, potest nos ducere in claram Trinitatis cognitionem, sed tantum in cognitionem Dei, ut est causa & principium creativum; ad hoc autem non opus est eum cognoscere ut Trinum, sed ut Unum duntaxat.

Respondeo secundo, nec etiam posse probabiliter cognosci, quia nullum apparet medium per quod homo, citra revelationem, possit assurgere in cognitionem aliquam probabilem hujus mysterii; cum potius pleraque occurrant, quae illius possibilitati efficaciter opponi videntur. Ut quod unius substantiae unicum tantum sit suppositum: quod nullum agens suam naturam alteri communicet, sed aliam numero distinctam producat: quod nihil producat sine dependentia & causalitate: quod producat tempore, aut natura sit prius producto, quae & similia valde aliena sunt ab iis quae in Trinitate admittimus; quare tale mysterium esse impossibile facile suaderent, si cui fide minimè praedito, illius cogitatio occurreret.

Nota 1. Non esse absurdum, quod personae divinae dicantur tria individua largo modo, sicut enim natura divina, quatenus est communis tribus personis habet similitudinem aliquam cum specie, ita tres personae sunt veluti quaedam illius individua: praefertim quia licet ex uno capite rationem individui, non tam perfecte participant, quam individua creata; quia scilicet eandem numero naturam habent: aliunde tamen perfectius eam obtinent, quatenus personae divinae magis repugnat divisibilitas, quam creatae.

Nota 2. Etsi in creatis una natura sit tantum in una persona, non sequi idem dicendum de Deo: quia cum illius natura sit infinita, non repugnat eam in pluribus personis reperiri: sicut in creatis eadem natura specifica, quia accipit quandam illimitationem per intellectum, potest esse in pluribus individuis.

RESO-

RESOLUTIO III. *In Deo ponendæ sunt tres subsistentiæ relativæ, non autem aliqua absoluta, & communis tribus personis.*] PRIOR PARS PROBATUR primò, quia Concilia, & Patres in Deo admittunt tres subsistentias, eorum autem verba non possunt intelligi nisi de subsistentiis relativis, quia ea tantum in Deo multiplicantur, quæ habent oppositionem relativam.

Neque dicas tres subsistentias ibi sumi pro tribus subsistentibus. Nam hoc gratis admissio, sequitur dari tres subsistentias: si enim una tantum esset, tres personæ dicerentur unus subsistens: sicut dicantur unus Deus, propter unam Deitatem. Siquidem nomina concreta substantiva non multiplicantur, nisi multiplicata ratione formali quam significant.

Secundo, cum persona & suppositum in Deo idem sint ex supradictis, tot in eo ponendæ sunt subsistentiæ, quot personalitates: at hæ tres sunt, eæque relativæ, ergo & illæ. *Confirmatur*, nam Verbum per subsistentiam suam est unitum humanitati, ea autem subsistentia non est absoluta, quia alioqui humanitas esset etiam unita Patri, & Spiritui sancto, ergo est relativa: cumque non sit potior ratio, cur talis subsistentia habeat locum in una Trinitatis persona, quam in aliis sequitur earum cuilibet assignandam esse suam subsistentiam relativam; atque ita in Deo esse tres subsistentias relativas.

Nota Augustinum quando lib. 7. de Trinitate cap. 4. ait, Deum ad se subsistere, agere de subsistentia, ut est modus per se existendi, independenter à subjecto sustentante; ut vel ex eo patet, quia colligit Deum non fore substantiam, si ad se non subsisteret: Hieronymum vero epist. 5. velle, ut taceantur tres hypostases, in sensu Arianorum, id est, tres essentia; nunc autem usus invaluit, ut hypostasis pro subsistentia accipiat, sicque in Deo poni debent tres hypostases.

Posterior pars suadetur, tum quia in Conciliis &

Patribus subsistentia sumi solet pro hypostasi, & hæc pro persona; atqui in Deo sunt tantum tres hypostases relativæ & tres personæ, neque cum illis admitti potest quædam hypostasis, aut persona absoluta, & communis tribus personis; ergo neque etiam subsistentia absoluta, & communis. Tum quia apud Metaphysicos subsistentia sumitur pro aliquo modo substantiali, quo res habet formaliter, ut per se fit incommunicabiliter; at divinæ naturæ ut præcisæ à subsistentiis relativis, non potest competere modus ille existendi incommunicabiliter; quia quidquid in ea sic spectata reperitur, est absolutum, & commune tribus personis. Tum denique quia Deus sufficienter subsistit per tres subsistentias relativas, quare alia est superflua.

Nota, quòd etsi Deus præcisus relationibus sit substantia, adeoque ens per se existens, id est, non in alio in hæsi vè, non tamen est per se subsistens, ob rationes adductas. Unde negandum, subsistere absolute esse modum subsistendi perfectissimum respectu Dei; imò cum natura divina postulet communicari tribus personis, de perfectione illius est, ut subsistat tantum per tres subsistentias relativas, & quamcumque subsistentiam absolutam excludat.

* *Dices 1.* Si natura divina non subsistit, nisi per relationem, dici potest eam, id habere commune cù natura creata, ut non sit completa, seclusa personalitate. *Verum* etsi hoc aliquo sensu admittatur, illud semper discrimen erit inter naturas prædictas, quod divina, cum non distinguatur à personalitate, habet complementum suum à seipsa: creata verò illud non habet nisi ab extrinseco; quatenus à personalitate sua distinguitur.

* *Dices 2.* Pater communicat Filio substantiam completam, quia aliàs Filius non esset completè Deus: at non communicat illi Paternitatem, ergo debet illi communicare subsistentiam absolutam. Sequela patet, quia natura divina non est completa sine subsistentia

stentia

entia aliqua, sive relativa, sive absoluta. *Respondeo* distinguendum esse inter tres istas propositiones. 1. Pater communicat Filio substantiam completam, ut sic. 2. Pater communicat Filio substantiam incompletam. 3. Pater communicat Filio substantiam, quæ completa est. Et quidem prima est falsa, quia significat; Patrem communicare Filio paternitatem. Secunda etiam, quia significat substantiam quæ communicatur, carere personalitate. At tertia vera est, quia substantia communicata, habet à parte rei suum complementum, cum à paternitate non distinguitur: Unde, ut liquet, non sequitur, Filium non esse completè Deum: accipit enim naturam, quæ non minùs est paternitas, quàm filiatio.

RESOLUTIO IV. *In Deo est unica existentia absoluta, & tres relativa.*] **PRIOR PARS PROBATUR,** quia Deitas, ut concipitur prior relationibus, est essentialiter ens à se, & absolutè necessarium, ac proinde actu existens: ut sic autem non existit per existentias relativas si quæ sunt, quia hæ sequuntur relationes ipsas: ergo existit per existentiam communem & absolutam.

Posterior pars ostenditur primò, quia tot sunt in Deo existentia, quot entitates actu, existere enim nihil aliud est quam esse ens actu. At Paternitas, Filiatio, & Spiratio passiva sunt tres entitates actu; eæque realiter distinctæ: ergo sunt etiam tres existentia, non quidem absoluta, sed relativa.

Secundo, in Deo sunt veræ, & reales duarum personarum productiones, quod autem producitur accipit esse actuale, seu existentiam, ita ut entitas actu existens sit terminus productus, quare cum existentia communis non producat, sicut neque essentia, sequitur productionem tendere ad dandam personæ productæ existentiam relativam ratione à communi distinctam: alias nulla ibi concipi posset vera, & realis productio.

Nota 1. Non esse absurdum ponere in Deo tres

æternitates relativas : Athanasium verò cum ait in Symbolo, non tres æterni; sed unus æternus, agere de tribus personis, ut sunt unus Deus: & consequenter de immensitate, æternitate, aliisque attributis communibus, quæ unitatem divinæ essentia consequuntur.

Nota 2. Existentiam absolutam esse in Deo sufficientissimam, ut per illam formaliter existat quicquid in personis divinis est absolutum, non tamen quod in iis est relativum: sed ad hoc requiri existentias relativas, ut inter constituens & constitutum sit proportio.

* *Nota 3.* Quod si ex hypothese impossibili, in Deo esset unatantum persona, ea esset totaliter absoluta; adeoque posset complete existere, per existentiam absolutam. Nunc autem personæ divinæ sunt relativæ; quare requirunt speciales existentias relativas, præter communem, qua existunt ut sunt unus Deus.

RESOLUTIO V. *Ponenda sunt in Deo quadam proprietates, quibus personæ constituantur, & ab invicem distinguantur, quæque sint relativæ, non absolutæ.*] PRIMA PARS est certa, & communis contra Præpositivum & Ariminensem, qui alias temerè docuerunt, personas divinas se totis immediatè constitui, & distingui. Probari autem potest 1. ex Conciliis, & Patribus in Trinitate unitatem agnoscentibus secundum essentiam, & discretionem, secundum proprietates personales; quibus consonat illud ab Ecclesia in præfat. Missæ de Trinit. decantatum. in personis proprietates, in essentia unitas, & in majestæte adoretur æqualitas.

Probat 2. ratione, nam ex fide tres personæ sunt unus Deus, quare sicut assignatur aliquid in quo conveniunt, nempe essentia, ita cum non obstante illa unitate, personæ sint plures, & realiter distinctæ, sequitur in qualibet persona præter essentiam communem, admittendam esse specialem aliquam forma.

formalitatē, per quam intrinsecē constituitur in ratione talis personæ, & distinguatur ab alia: ea autem formalitas congruenter proprietates vocari solet, ut distinguatur ab aliis perfectionibus divinis, quæ aut duabus, aut omnibus personis conveniunt.

Secunda pars est aded certa, ut oppositum vix errore vacet. Nam de fide est personas in Deo multiplicari, & facere numerum: ergo debet etiam multiplicari principium constitutivum, & distinctivum personarum; at non multiplicantur proprietates absolutæ, cum hæ sint communes omnibus personis, sed tantum relativæ; ergo dicendum est personas divinas per proprietates relativæ constitui, & distinguui. *Confirmatur*, nam una persona, ut sic, non potest constitui, per id quod competit alteri, quare cum absoluta æqualiter omnibus personis competant, sequitur constitutionem personæ divinæ à proprietate relativa petendam esse.

* *Dices 1.* Una persona divina per id constituitur, & distinguitur ab alia, per quod illius relationem terminat: at non terminat alterius relationem, secundum esse relativum, sed secundum absolutum, ut colligitur ex Logica: ergo. *Sec. Respondeo* negando minorem, quia cum relatio divina sit substantia perfectissima, & per se subsistens, ea non tantum est ratio referendi, aut terminandi, sed etiam est id quod refertur ad aliud, quodque oppositam relationem terminat; esto oppositum contingat in relatione accidentali.

* *Dices 2.* Si personæ constituerentur per aliquid relativum, paternitas constitueret primam personam: at hoc repugnat, quia persona supponitur constituta, antequam generet, adeoque antequam sit pater. Ut huic argumento fiat satis, monco eandem formam relativam, cum sit substantia infinite perfecta, propter suam eminentiam, constituere Patrem in ratione subsistentis, & personæ; dare illi potentiam generandi, & actualem generationem; eumque referre ad filium genitum.

Respondeo igitur primam personam constitui per paternitatem primo modo spectatam, seu quatenus habet rationem subsistentiæ: objectionem autem procedere de paternitate ultimo modo spectata, seu ut est merus respectus Patris, ad Filium jam productum, qua ratione nimis clarum est, Patrem non posse, in ratione personæ, per paternitatem constitui.

* *Instabis*, ergo Pater constituitur per aliquid absolutum, non per relativum. *Non* sequitur, quia cum Pater, antequam concipiatur generare actum, sit intrinsicè determinatus ad producendum Filium, refertur ad illum, ut in posteriori signo rationis ex necessitate producendum. Hoc autem sufficit, ut constituatur in esse personæ, per aliquid relativum.

* *Contra*, in eo priori signo rationis Filius non existit, ergo Pater non refertur ad illum realiter: adeoque constituitur per aliquid absolutum. *At* neque id sequitur, quia ut ratio sit realis, sufficit quod illius terminus eadem duratione reali existat, id est, tunc quando respicitur à suo correlativo: qua ratione Filius in divinis, semper coexistit Patri, etsi ab eo procedat.

RESOLUTIO VI. *Non omnes relationes divinae constituunt personas.*] RATIO EST, quia cum spiratio activa sit communis duabus personis, non potest unam personam constituere. Unde sequitur strictè loquendo tres tantum in Deo esse proprietates personales, paternitatem qua Pater, filiationem qua Filius, spirationem passivam qua Spiritus sanctus constituitur.

Nota 1. Quod etsi spiratio activa propriè non constituat ullam personam, spectat tamen ad constitutionem intrinsicam Patris, & Filii, quatenus Pater non censetur adæquate constitutus, nisi ut concipitur non modo intellectu, sed etiam voluntate fecunda præditus, adeoque determinatus intrinsicè ad productionem Verbi, & Spiritus sancti. Filius etiam non est perfectè, & adæquatè Filius, habens eandem
natu-

naturam Patris, quin etiam concipiatur habere intellectum, & voluntatem fecundam Patris, ac proinde ut in actu primo spirator, non secus ac Pater: Unde talis ratio non advenit Patri & Filio ut perfecte constitutis, sed potius pertinet ad eorum constitutionem adæquatè spectatam. Si tamen quæstio sit de ipsa actuali inspiratione; ea, ut sic, neque ullam personam constituit, neque spectat ad earum constitutionem, sed veluti advenit personis completè constitutis, ut ex dictis colligi potest.

Nota 2. Personas non constitui formaliter per origines, seu per relationes spectatas per modum viæ & in fieri, quia scilicet personæ divinæ sunt res per se subsistentes, & veluti in facto esse; quare fieri nequit ut constituentur per relationem spectatam per modum viæ, & in fieri, sed per modum formæ permanentis, & in facto esse; quale enim est constitutum, tale & constituens esse debet.

Confirmatur, nam constituens non aliter aliud constituit, quam seipsum illi exhibendo, quare non potest illud constituere, nisi eo modo quo est: si ergo personæ divinæ per origines constituerentur, cum hæc se habeant per modum viæ, sequeretur personas divinas eodem modo se habere: hoc autem cum falsum sit, dicendum est personas divinas non constitui per origines, ut sic, sed per relationes veluti in facto esse spectatas.

Dices, quando res aliqua duas habet formalitates, quarum altera constituitur, & distinguitur, constitutio debet fieri per priorem, eo quòd nihil prius alicui rei competit, quàm id per quod constituitur; atquin divinis prior est origo, seu relatio in fieri, quàm in facto esse, ergo, &c. *Respondeo* majorem veram esse de priori formalitate, quæ habet conditiones ad constitutionem necessarias, qualis hic non reperitur: siquidem persona concipitur ut ens subsistens, & in facto esse, quod habere nequit per originem, ut patet ex dictis.

RESOLUTIO I. *Prima persona Trinitatis propriè competit nomen principii.*] PROBATUR, nam principium est id à quo aliquid procedit; at Filius & Spiritus sanctus procedunt à prima persona, itemque creatura, ergo est principium tam ad intra, quam ad extra. Est tamen discrimen, nam principium ad intra dicitur notionaliter, & competit soli Patri, respectu Filii, utriusque verò respectu Spiritus sancti: ad extra autem dicitur essentialiter, estque commune tribus personis, quia creatura procedunt ab omnipotentia divina, quæ una est & eadem in omnibus personis.

Deinde principium ad extra conjunctum est cum efficientia & vera causalitate, talis verò causalitas non habet propriè locum inter personas divinas, cum omnes sint ejusdem numero naturæ, & essentialitæ: licet interdum Patres Græci dicant Patrem esse causam Filii, & Spiritus sancti, sumendo nomen causalitæ pro principio: unde non debet dici absolute, quòd Filius & Spiritus sanctus sint principiatii, sed cum additamento; quòd Filius sit principiatii à Patre, & Spiritus sanctus ab utroque.

Rursus ratio principii non dicitur univocè de notionali & essentiali, cum nihil detur commune univocum relativo, & absolute. Licet etiam Pater propriè dicatur principium totius creaturæ, non tamen totius Deitatis, cum neque illam, neque se producat: quòd si Patres interdum aliter loquuntur, sensus est, Patrem esse à se, totamque divinitatem ab eo aliis communicari personis.

RESOLUTIO II. *Nomen Patris propriè convenit primæ personæ Trinitatis.*] PROBATUR, nam aliquid est proprium dupliciter, nempe ut distinguitur à communi & metaphorico; utroque autem modo, ex fide, prima persona propriè est Pater; cum sola & verè

verè Filium generet. Imò cum illa generatio sit infinite perfectior humana, eò quòd per illam produci- tur Filius infinite perfectus, habens eandem numero naturam cum Patre, nomen Patris multò perfectius competit primæ personæ Trinitatis respectu secundæ, quàm homini respectu sui filii.

Si tamen sermo sit de paternitate essentiali, qua Deus dicitur Pater creaturarum, ea neque est propria Patris, neque propriè omnibus personis competit, sed metaphoricè, & impropriè, cum aliqua tamen latitudine: quia enim in vera generatione, invenitur vera similitudo inter produciens & productum, quò creatura aliqua Deo est similior, eò magis propriè Deus dicitur Pater illius, verbi causa, Angelorum & hominum magis quam irrationalium, justorum magis quàm peccatorum, & beatorum magis quàm viatorum.

Nota, nomen Patris sumptum notionaliter tribus modis Deo prius competere, quàm sumptum essentialiter, *Primo* prioritate perfectionis, quia perfectius est esse Patrem propriè, quàm metaphoricè. *Secundo* prioritate rationis, nam in Deo naturalia sunt ratione priora liberis. *Tertiò* duratione, Pater enim ab æterno genuit Filium, Deus autem mundum produxit in tempore.

RESOLUTIO III. *Nomen ingeniti soli Patri propriè competit.*] **PROBATUR**, nam esse ingenitum hic accipitur pro non procedente ab alio quovis modo; at sic esse ingenitum est proprium solius Patris, cum Filius & Spiritus sanctus ab alio procedant, ipse verò sit à se. Deinde si in Deo essent duæ personæ ingenitæ, essent duo dii, cum unica numero natura non possit reperiri in pluribus personis, nisi per processionem unius ab alia. Quòd si qui Patres interdum negant Patrem esse ingenitum, ii loquantur in sensu Arianorum, qui dicebant solum Patrem esse ingenitum, id est, non factum; unde concludebant Filium & Spiritum sanctum esse creaturas à Patre factas.

Ubi

Ubi nota 1. Rationem ingeniti non consistere in aliquo positivo illud enim esset aut quid absolutum, & sic omnes personæ essent ingenitæ, aut relativum, & ita plures essent in Deo relationes reales quam quatuor, quod repugnat. Itaque esse ingenitum de formali dicit meram negationem, videlicet processionis ab alio, non tantum actualis, sed etiam possibilis.

Nota 2. Fundamentum dictæ negationis in Patre non esse quid absolutum, propter rationem allaram, sed aliquam relationem in Patre existentem, quæ alia esse nequit quam paternitas; cum spiratio activa sit communis Filio, & quinta relatio admitti non debeat.

CAPIT V.

De Persona Filii.

RESOLUTIO I. *Ratio Filii propriè convenit alicui personæ divinæ, & Verbum est nomen personale proprium Filii, dicitque respectum aliquem ad creaturas.*]
PRIMA PARS probatur ex dictis, nam in Deo est propriè Pater, idque in ordine ad aliquam personam divinam, ergo & Filius, juxta illud primæ Ioan. 5. Ut cognoscamus verum Deum, & simus in vero Filio ejus, hic est verus filius; quod ita intellige, ut in Deo sit verus Filius ab æterno, sicut & verus Pater, ut colligitur ex verbis illis Symboli Niceni, Et ex Patre natum ante omnia sæcula, hacque ratione suadetur, nam hæc filiatio dicit habitudinem ad principium generans per intellectum; sicut autem Pater est ab æterno, & ab æterno intelligit, ita ab æterno producit Verbum, seu filium.

Secundapars ostenditur contra Durandum, tum ex illo 1. Ioan. 5. Tres sunt qui testimonium dant in cœlo, Pater, Verbum, & Spiritus sanctus. Tum quia cum Filius procedat ut terminus intellectionis, dubitari non potest, quin procedat ut Verbum, idque ab æterno; cumque talis processio nequeat competere
Patri,

Patri, ut pote improducto; aut Spiritui sancto, eò quòd procedit per voluntatem, hinc fit ut propria ratio Verbi soli Filio competat.

Interdum tamen contingit, sumpto nomine Verbi improprie & metaphoricè, illud dici essentialiter, ut dum quaritur, quidnam beati videant in Verbo, id est, in ipsa essentia divina, ex vi claræ visionis ipsius: ea enim non est proprie Verbum, sed per aliquam similitudinem, quatenus repræsentat creaturas, quas eminenter continet.

* *Contingit* etiam aliquando, ut Spiritus sanctus dicatur Verbum Filii, quod intelligendum est de verbo improprie, quatenus Filium nobis manifestat: sicut Verbum externum manifestat conceptum internum.

Nota, etsi intellectio in Deo sit essentialis, verbum tamen esse notionale, quia significat terminum productum per intellectiõnem, & à persona producente realiter distinctum. Neque dicas etiam ipsam intellectiõnem procedere à persona intelligente, hoc enim verum non est, nisi secundum conceptum nostrum, cum à parte rei in Deo intellectio à persona intelligente non distinguatur.

Tertia pars probatur, nam Verbum est expressa similitudo eorum quæ intelliguntur. At Pater æternus non solum se intelligit, sed etiam creaturas, ergo per intellectiõnem producit Verbum non tantum sui repræsentativum, sed etiam creaturarum, unde oritur quædam habitudo repræsentantis ad objectum repræsentatum, quæ est rationis: cum tamen relatio Verbi ad personam dicentem sit realis. Neque Verbum repræsentat tantum creaturas, sed etiam essentiam divinam, & tres personas, cum hoc totum à Patre comprehendatur: & consequenter dicit respectum ad illa omnia, qui quidem respectus non est tantum rationis, quatenus Verbum repræsentat seipsum, & essentiam cum qua perfecte identificatur, sed etiam quatenus repræsentat Patrem,
& Spi-

& Spiritum sanctum, eò quòd essentia divina, quæ est Verbo ratio repræsentandi, ab illis personis non distinguitur.

RESOLUTIO II. *Verbum divinum procedit ex cognitione divina essentia, omniumque personarum divinarum.* PRIOR PARS PROBATUR, nam Verbum ex vi suæ generationis, procedit ut simile Patri, modo intelligibili, ergo procedit ex cognitione essentia Patris: siquidem Pater non dicitur producere sibi simile, modo intelligibili, nisi quatenus seipsum, adeoque suam substantiam intelligendo, producit sui similitudinem. *Confirmatur*, nam intellectiois paternæ primarium objectum est essentia divina, ergo Verbum divinum debet saltem procedere ex cognitione illius: imò cum Verbum sit infinite perfectum in ratione Verbi, procedere debet ex cognitione comprehensiva divinæ essentia adeoque ex cognitione omnium attributorum communium.

Secundapars ostenditur ex jam dictis, nam Verbum procedit ex perfectissima comprehensione divinæ essentia: Non potest autem comprehendi divina essentia, nisi cognoscantur relationes personales, quæ aut sunt de essentia illius, aut ut minimum summè cum illa identificantur; quare Verbum procedit non tantum ex cognitione divinæ essentia, sed etiam omnium personarum.

Confirmatur, nam cum Verbum essentialiter producat per intellectioem, profecto per eandem formaliter intellectioem qua producit Verbum, Pater percipit eas omnes veritates, quas Verbum dicit & exprimit: at Verbum divinum cum sit infinitum in ratione Verbi, necessario exprimit omnes veritates, eas saltem quæ habent absolutam necessitatem, quæque spectant ad Deum unum & trinum, idque modo perfectissimo, nempe intuitivè, & comprehensivè; ergo Verbum divinum postulat procedere formaliter ex intellectioem qua Pater cognoscit, non tantum essentiam divinam, sed etiam

tres

tres personas, idque intuitivè, & comprehensivè.

Nota 1. Ex eo quòd Pater ex cognitione Verbi producat Verbum, non sequi quòd Verbum simpliciter supponat seipsum, adeoque sit prius, & posterius seipso, sed tantum quòd secundum rationem sit prius in esse objectivo, quàm in esse reali. Neque hinc colligas Verbum non procedere ex cognitione intuitiva sui ipsius; Hoc enim falsum est, tum quia inter Patris cognitionem, & existentiam Verbi, nulla intercedit prioritas durationis, tum quia, quamvis non simul existerent, satis esset ad cognitionem intuitivam, quòd Patris cognitio terminaretur ad existentiam Verbi aliàs futuram. Quemadmodum ut Deus dicatur ab æterno videre futura intuitivè, sufficit quòd ea videat secundum realem existentiam quam aliquando habitura sunt.

Nota 2. Neque hinc sequi Verbum procedere à seipso, quia quòd procedit per intellectum, non procedit per omne objectum intellectus, sed tantum per illud quòd unitur intellectui per modum principii activi, ad producendam cum illo intellectionem: quo modo non unitur Verbum ad productionem sui ipsius cum pro eo signo non existat, etsi videatur à Patre ut existens; non enim cognoscitur ut existens nisi pro sequenti signo. Unde etiam patet Verbum non posse dici imaginem sui ipsius, aut Spiritus sancti, etsi ex utriusque cognitione procedat.

* *Dices,* imago Regis non pendet à Rege, secundum esse reale illius, sed tantum secundum esse intentionale, quòd habet in mente pictoris. Similiter ergo ut Verbum sit Spiritus sancti imago, satis erit quòd Pater intelligendo Spiritum sanctum producat Verbum illius expressivum. *Respondeo* non sequi, siquidem Rex per sui speciem, receptam in mente pictoris, habet se veluti principium concursens ad efformationem suæ imaginis: qua simili ratione non influit Spiritus sanctus ad productionem Verbi.

RESO-

RESOLUTIO III. *Verbum divinum procedit ex cognitione creaturarum possibilium.*] HOC colligitur ex dictis. Nam Verbum divinum per se procedit ex notitia comprehensiva divinæ essentiæ, ad quam requiritur comprehensio potentiæ divinæ, atque adeo rerum quæ sub illam cadunt, seu quæ sunt possibles. Unde hæc ratio concludit, cognitionem rerum possibilium non tantum requiri materialiter ad productionem Verbi, sed etiam formaliter: quia cum Verbum sit infinite perfectum in ratione Verbi, postulat procedere per cognitionem infinite perfectam, adeoque comprehensivam.

Nota 1. Verbum cum sit Deus, adeoque ens per essentiam, prius esse à parte rei rebus possibilibus: quia hæ non sunt entia nisi per participationem: & ex eo quòd verbum producat ex cognitione creaturarum possibilium, tantum sequi, quòd juxta nostrum imperfectum concipiendi modum sit illis posterius: sicut ob similem rationem est posterius, juxta conceptum nostrum essentia divina, cum qua tamen perfecte identificatur.

Nota 2. Quòd si nulla creatura esset possibilis, Verbum quòd ex hypothesi illa impossibili procederet à Patre, non esset ejusdem rationis saltem adæquate, ac verbum jam existens: eo quòd non esset expressivum creaturarum. Neque quòd Verbum in dicto casu nullam creaturam ut possibilem repræsenteret, ex eo oriretur quòd Pater intelligens indigeret creaturis tanquam objecto motivo, ut eas Verbo suo exprimeret, sed ex eo quòd ipsa essentia divina non potest movere ad intelligendum ut possibile, id quòd tale non est.

RESOLUTIO IV. *Verbum divinum non procedit ex cognitione creaturarum existentium.*] **PROBATUR,** nam Verbum secundum totam productionem suam, est ens absolute necessarium; at non esset, si produceretur etiam ex notitia creaturarum aliquando existentium, ut sic: quia cum talis notitia potuerit non esse

esse in Deo, potuit Verbum non ex ea procedere; atque adeò quoad suam processionem aliqua ex parte mutari, quod dici non potest. *Confirmatur*, nam cum productio Verbi sit necessaria, ea est prior scientia visionis, quæ est libera.

Nota 1. Ut Deus se comprehendat, non requiri absolute quod cognoscat futura: se enim perfectissime comprehenderet, etsi nihil decrevisset producere; sufficit ergo, quod perfecte penetret suam potentiam, & quicquid per illam potest producere.

* *Dices*, hoc verum esse absolute, ex hypothesi tamen quòd aliquid sit futurum, Deus nequit perfecte se comprehendere, quin illud cognoscat: adeoque Verbum debet procedere ex illius cognitione. *Respondet* hoc posterius non sequi, quia prius est quòd Verbum generetur, quàm quòd res aliqua sit futura, ex dictis.

Nota 2. Verbum non representare futura actu, & formaliter ex vi suæ processionis, sed tantum remote, & veluti radicaliter; quatenus recipit scientiam infinite representativam, quæque proinde ex se, sine additione novæ perfectionis representat futura, statim atque vi decreti futura sunt. Ex dictis autem collige, Verbum non procedere ex cognitione futurorum sub conditione, quia ejusmodi cognitio simpliciter potuit non esse in Deo.

* *Nec refert* quòd scientia conditionata non supponat decretum liberum, actu in Deo existens, & ex eo capite nihil repugnare videatur, quo minus possit concipi in Deo, in quocunque signo aternitatis, adeoque ante generationem Verbi, ad modum scientiæ naturalis, & necessariæ: aliunde enim supponit objecti sui veritatem, quæ cum simpliciter sit contingens, & potuerit non esse; hinc fit, ut Verbi divini generatio in illius cognitionem, etiam partialiter reduci non possit.

RESOLUTIO I. *Spiritus sanctus non solum à Patre, sed etiam à Filio procedit.*] EST DE FIDE contra Nestorianos, quos sequuti sunt communiter Græci, qui etsi fateantur Spiritum sanctum à Patre procedere, eumque esse verè, & propriè Deum, Patrique ac Filio consubstantialem, negant tamen pertinacissimè eum procedere à filio. *Probat*ur autem 1. *ex cap. 16. Ioan.* ubi Christus promittit se missurum Spiritum sanctum, nulla enim persona divina mittitur, nisi ab ea à qua procedit, ut fert communis sententia, de qua *infra cap. 8.*

Secundò idem definitum fuit in variis Conciliis generalibus Græcis, nempe in Ephesino, Constantinopolitano, aliisque sequentibus usque ad Nicænum secundum, in quo Symbolum Nicæm. fuit approbatum, lectumque hoc modo, Qui ex Patre filioque procedit, addita nimirum hac particula (filioque,) etsi non satis constet inter authores, quo primum tempore illa particula Symbolo prædicto addita fuerit. Item in plerisque Latinis quibus Græci interfuerunt, & subscripserunt, nempe in Lateranensi sub Innocent. III. ubi statutum fuit Spiritum sanctum à Patre, & Filio procedere; Lugdunensi sub Gregorio X. ubi cantatum est Symbolum ter Græcè, & ter latinè, cum illa declaratione, ex Patre, Filioque procedit. Et in Florent. ubi idem quod in præcedentibus definitum fuit de processione Spiritus sancti à Patre, & filio.

Tertiò Prædictis Conciliis possent subijci plerique Patres Græci sed illud sufficiat ex Symbolo Athanasii, Spiritus sanctus à Patre, & filio non factus, nec creatus, nec genitus, sed procedens, quæ verba adeò sunt perspicua, ut Græci ea aliter eludere non potuerint, quam dicendo Athanasium fuisse ebrium quando ea scripsit, quod quam sobriè dictum sit, nemo est qui non videat.

Proba-

Probat 4. Ratione; nam Filius per generationem accipit eandem potentiam spirativam Patris, ergo & actu cum illo spirat. Sequela videtur perspicua, tum quia intelligi non potest, quomodo unica & simplicissima potentia exeat in actum, prout est in Patre, & non prout est in Filio, aut quod illius terminus ab utroque non procedat. Antecedens autem ostenditur, nam cum sit aliquis ordo inter operationes intellectus, & voluntatis, ita scilicet ut intellectus prius intelligat, & dicat Verbum, quam voluntas velit, & amorem producat: In eo priori Verbum accipit à Patre eandem essentiam, & eandem voluntatem fecundam quam habet Pater, quæ proinde in utroque est principium Spiritus sancti.

Accedit alia ratio. Nam si Spiritus sanctus à Filio non procederet, ab eo realiter non distingueretur, eò quod inter illos non esset oppositio relativa, à qua sola in divinis potest sumi realis distinctio: at Spiritus sanctus realiter distinguitur à Filio, ergo ab illo procedit.

Verum contra prædicta duo objici possunt, primò Symbolo Nicæno non debuisse addi particulam: Filioque, tum quia in Concilio Ephes. strictè prohibetur, ne quis alteram fidem proferat, aut scribat, aut exponat, præter eam quæ definita fuit in Concilio Nicæno. Tum quia Leo III. qui vixit circa annum octingentesimum, curavit poni Symbolum prædictum in tabula argentea, post altare Pauli Apostoli, sine illo additamento, Filioque, quod tamen antea factum fuerat in Concilio Nicæno 1. & in Toletano 8.

Respondeo Concilium Ephes. prohibuisse, ne quis doceret aliquid repugnans Symbolo Nicæno, non autem ne quid à posterioribus Conciliis generalibus, aut à summis Pontificibus ei adderetur, majoris explicationis gratia si res id postularet. Talis enim prohibitio fuisset nullius momenti cum par in parem non habeat imperium: neque verò Leo III. curavit Symbolum inscribi sine particula (Filioque)

H

quod

quòd putaret eam rejiciendam, sed potiùs in memoriam venerandæ antiquitatis, ut scilicet Symbolum illud conservaretur, eo modo quo à dicto Concilio traditum fuerat.

* *Secundò* objici potest Damascenum, aliosque Patres Græcos affirmare Spiritum sanctum esse ex Patre per Filium. *Respando* eos qui sic loquuntur, non velle negare processionem Spiritus sancti à Filio, sed tantum innuere Patrem esse veluti primarium principium Spiritus sancti, Filium autem veluti secundarium; seu Patrem habere à seipso vim spirandi Spiritum sanctum, Filium vero à Patre. Unde *S. Tho. 1. p. q. 36. art. 3.* Quia Filius, inquit, habet à Patre quòd ab eo procedat Spiritus sanctus, potest dici quòd Pater per Filium spirat Spiritum sanctum; vel quòd Spiritus sanctus procedat à Patre, per Filium, quòd idem est.

RESOLUTIO II. *Spiritus sanctus procedit à Patre, & Filio tanquam ab uno principio, & simul tanquam à duobus suppositis.*] PRIMA PARS est de fide, fuitque definita in generali Concilio Lugdun. sub Greg. X. & refertur in cap. unico de summa Trinitate, ubi damnantur, tum qui negant Spiritum sanctum aternaliter ex Patre & Filio procedere; tum qui asserunt Spiritum sanctum ex Patre & Filio tanquam ex duobus principiis, & non tanquam ex uno procedere.

*Probat*ur autem ratione, quia nomina substantiva non multiplicantur, nisi eorum forma multiplicetur. Unde quia una tantum est deitas in tribus personis, dicimus eas esse unum Deum: & ita de aliis. Ergo similiter cum in Patre, & Filio unica sit potentia spirativa, eademque actualis spiratio, hinc fit ut ambo non constituent duo Spiritus sancti principia, sed unicum dumtaxat.

Ubi nota 1. Quod etsi Pater & Filius non possint dici duo spiratores, propter rationem allatam, dicuntur tamen duo spirantes, ut notat *S. Thomas 1. p. q. 36*

9.36.art.4.ad 7. Quia ut adjectiva multiplicentur, sufficit multiplicatio suppositorum, etsi forma sit eadem. Unde quando aliqui Patres ajunt, Spiritum sanctum de Patre, & Filio authoribus procedere, nomen (authoribus) adjectivè accipiendum est pro, producentibus; seu spirantibus.

Nota 2. Non posse dici, quòd Pater quatenus generat, & spirat, sit duo principia; tum quia est unicum suppositum, tum quia forma est realiter una, nempe paternitas, & spiratio activa: cumque hæc eadem sit in Filio, sequitur Patrem generantem, & Filium spirantem non esse duo principia, sed unicum, licet distincta sint supposita: quia scilicet ad multiplicationem nominum substantivorum, requiritur multiplicatio formarum, & suppositorum.

* *Nota 3.* Quando dicimus, unum principium Spiritus sancti duo supponi, unum pro formali, nempe virtutem spirativam, aliud pro materiali, nempe suppositum habens talem virtutem, abstrahendo ab hoc, quòd suppositum illud sit unum, vel plura. Quo fit ut cum spiratum dicat unum suppositum, constitutum ex essentia, & spiratione passiva; spirator dicat, non unum suppositum, sed unum singulare constans ex essentia divina & virtute spirativa sibi identificante supposita Patris, & Filii.

Secunda pars ostenditur, quòd Spiritus sanctus quòd de facto existit, ex sua proprietate personali, & ratione intrinseca exigit, ut sit tertia persona Trinitatis ab aliis distincta; quòd non haberet, si non procederet ab utraque, non enim ab a realiter distingueretur, à qua non procederet, ut dictum est, unde non esset eadem persona quæ nunc est, cum repugnet eam personam quæ est Spiritus sanctus, & procedit tantum per voluntatem, distinguiturque realiter à Filio, esse eandem personam illa quæ procederet per intellectum, & voluntatem, quæque simul esset filius, & Spiritus sanctus, qualis ea esset quæ procederet à Patre, & non Filio.

Dices, si spiritus sanctus per se procedit à Patre, & Filio, ut à duobus suppositis, sequitur Patrem ut Patrem, & Filium, ut filium producere Spiritum sanctum
Respondeo id verum esse de Patre & filio specificativè, quatenus uterque verè concurret per potentiam intrinsecam, ad productionem Spiritus sancti; non autem reduplicativè, quia vox reduplicativa significat rationem ultimò constitutivam principii spirativi, quæ non est paternitas, aut filiatio, sed spiratio communis.

* *Ex dictis potest colligi, etsi virtus spirativa, & spiratio actualis sint prius origine in Patre, quam in Filio; Patrem tamen non prius origine spirare, quam Filium, eò quòd principium spirativum adæquatè coalescit ex suppositis Patris, & Filii, ut ostensum est.*

RESOLUTIO III. *Nomina Spiritus sancti, & amoris specialiter tribuuntur tertie personæ Trinitatis.]*
 PRIMA pars est sancti Thomæ 1. p. q. 37. art. 1. Ubi docet hoc nomen, Spiritus sanctus, accommodatum esse ad significandum divinam personam, quæ procedit per modum amoris. Nam nomen Spiritus in rebus corporeis impulsivam quandam, & motionem significare videtur: est autem proprium amoris quòd moveat, aut impellat voluntatem amantis in amatum, sanctitas verò illis rebus attribuitur quæ in Deum ordinantur: quia igitur tertia persona Trinitatis procedit per modum amoris, quo Deus amatur, convenienter Spiritus sanctus nominatur, etsi alioqui Pater, & Filius sint spiritus, & uterque sanctus sit.

Secundam partem tradit idem S. Doctor q. 37. art. 1. Ubi docet nomen amoris secundum quòd personaliter dicitur, esse proprium nomen Spiritus sancti, sicut Verbum est proprium nomen Filii: quod probat, nam processio quæ est per voluntatem, in eo convenit cum processione quæ est per intellectum, quod sicut in ista tria considerare possumus, scilicet habi-

habitudinem intellectus ad rem intellectam, habitudinem ejusdem intellectus ad id quod ab intellectu procedit, & tandē id quod per operationē intellectus procedit. Ita tria in illa cōsideranda sunt, nempe habitudo voluntatis ad rem amatam, habitudo ejusdem voluntatis amanti ad rem quæ per ipsam procedit, & res ipsa per talem actionem procedens. Est tamen discrimen inter dictas processiones, quia cum ea quæ est per intellectum, sit notior, adinventata sunt nomina ad significanda illa tria quæ memoravimus, Primum enim vocatur intellectio, secundum dictio, tertium denique dicitur Verbum, In processione autem per voluntatem, suppetunt tantum nomina, quæ significant habitudinem amanti ad rem amatam, nempe diligere, & amare; reliqua autem duo, defectu vocabulorum manent innominata ideoque necessarium fuit eadem verba usurpare ad ea significanda. Unde diligere, & amor in divinis dupliciter sumuntur, primò ut dicunt habitudinem amanti ad rem amatam, quomodo dicuntur essentialiter. Secundò ut significant habitudinem amanti ad id quod ex amore procedit, & ipsum etiam quod procedit, qua ratione dicuntur personaliter, sicque amor est proprium nomen Spiritus sancti.

RESOLUTIO IV. *Si diligere accipiatur notionaliter, dici potest Patrem, & Filium se diligere Spiritu sancto.* PROBATUR, nam diligere hoc modo sumptum duo respicit, nempe objectum quod amatur, & terminum qui producitur; quemadmodum illuminatio respicit subjectum quod illuminatur, & terminum per eandem productum; sicut ergo dici potest solem illustrare hæc inferiora, ea luce quam in iis producit; ita non incongruè dici potest, Patrem & Filium se diligere non tantum dilectione notionali, quæ mutuò se amant, sed etiam ipso Spiritu sancto, qui per talem dilectionem producit: ita ut sicut sol formaliter dicitur illuminans ab ipsa illuminatione,

tanquam à forma talem denominationem conferente, & à luce in rebus illuminatis producta, tanquam à termino illuminationis: ita Pater & Filius formaliter dicuntur se diligere dilectione notionali, veluti forma inhærente, Spiritu autem sancto, tanquam termino talis dilectionis.

Nota 1. Eodem sensu dici posse, Patrem se intelligere Verbo, quo dicimus Patrem, & Filium se amare Spiritu sancto, quia etsi Verbum non sit medium quo Pater se, & alia intelligit, est tamen terminus intrinsecè terminans intellectionem qua omnia intelligit; hoc etiam habet peculiare, ut omnia objecta à Patre cognita exprimat tanquam repræsentatio subsistens.

Nota 2. Falsam esse propositionem illam, Pater est sapiens sapientia genita; quia participium sapiens, non denotat actionem aliquam, sed tantum sapientiam immanentem, & veluti habitualem, ut patet ex usu loquendi: quare prædictæ propositionis sensus est, Patrem esse sapientem formaliter, & intrinsecè, per sapientiam genitam, quæ est persona ab eo realiter distincta.

RESOLUTIO V. *Donum secundum quod personaliter sumitur, est proprium nomen Spiritus sancti.*] ITA S. Thom. 1. p. q. 38. art. 2. quod probat, quia secundum Philosop. Donum propriè est datio irredibilis, id est, quod nõ datur intentione retributionis, & sic importat gratuitam donationem: ratio autem gratuita donationis est amor, ideò enim gratis damus alicui aliquid, quia volumus ei bonum; unde amor habet rationem primi doni, per quod omnia dona gratuita dantur: quare cum Spiritus sanctus procedat ut amor, procedit in ratione primi doni. Et in responsione *ad 1. nota*, quòd sicut Filius, quia procedit per modum Verbi, dicitur propriè imago, licèt etiam Spiritus sanctus sit similis Patri: ita Spiritus sanctus quia à Patre procedit ut amor, dicitur propriè donum, licèt etiam Filius detur; hoc enim ipsum

psum quòd Filius datur, est ex Patris amore, juxta illud Joan. 3. Sic Deus dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret.

Ut hæc clariùs percipias, Nota 1. Donum esse rem alicujus, qui eam alteri liberaliter confert, aut conferre potest. 1. *Dico 1.* Rem alicujus, sive per subjectionem, quomodo creaturæ sunt Dei; sive per originem, quomodo Filius est Patris; sive per identitatem, quomodo quælibet persona est sui ipsius. *Dico 2.* Qui eam alteri liberaliter confert, sicut enim ad rationem doni requiritur res quæ detur, & persona donans; ita & persona cui res donetur liberaliter, & non ex debito, vel ex necessitate, aut intuitu compensationis. *Dico 3.* Vel conferre potest, quia actualis donatio non est de essentia Doni, sed aptitudinalis duntaxat. Dicimus enim Regem habere multa dona, quæ conferat, etsi acta ea nondum donaverit.

Nota 2. Defectu conditionum prædictarum, naturam divinam non habere propriam rationem Doni, respectu personarum divinarum. Contrà verò cum Deus, & tota Trinitas seipsam liberaliter donet hominibus per cognitionem, & amorem, nihil impedire quominus esse Donum, sub eo respectu competat tribus personis, ut est donum dantis per identitatem: cumque Filius, & Spiritus sanctus à Patre procedant, & ab eo dari possint, hinc fit ut donum specialiter dicatur de Filio, & Spiritu sancto, ut est alterius dantis, non per identitatem, sed per originem: cum eo tamen discrimine quòd dari competat Spiritui sancto ratione suæ processions, Filio autem ex amore Patris, ut dictum est.

CAPUT VII.

De notionibus Divinis.

RESOLUTIO I. Ponenda sunt in Deo notiones aliquæ, nimirum quinque illæ vulgares, innaoscibilitas, paternitas, filiatio, spiratio activa, & passiva, nõ autẽ plures.] PRIMA PARS probatur contra Præpositivũ, &

Ariminensem; Notionis enim nomine intelligimus, non conceptum formalem rei alicujus, sed objectivum, seu notam aliquam & formam, qua una persona cognoscitur ut distincta ab alia: at personæ divinæ habent tales formas, & proprietates, quibus realiter inter se distinguuntur, & distinctæ cognoscuntur ex supradictis, ergo in divinis sunt ponendæ notiones aliquæ.

Secundapars probatur, nam in primis quod paternitas, filiatio, & spiratio passiva sint notiones, tam certum est, quam eas esse proprietates personales, quibus tres personæ constituuntur, & distinguuntur: sicut enim ejusmodi proprietates personas constituunt, & distinguunt; ita etiam sunt nobis veluti notæ quædam, quibus unam personam ab alia distinguimus. Rursus cum Pater non tantum referatur ad Filium, sed etiam ad Spiritum sanctum, & non per paternitatem, hinc ponitur in illo spiratio activa, simulque in Filio, quæ proinde est notio per quam cognoscimus eos distingui à Spiritu sancto. Denique quia per quatuor relationes prædictas sufficienter nobis non innotescit ternarius personarum divinarum numerus, cum nondum constet an Pater non sit ab alio, hinc communiter Theologi innascibilitatem, seu improducibilitatem tanquam propriam notionem primæ personæ, præter paternitatem constituunt.

Tertiapars ostenditur, quia prædictæ notiones sufficientiunt ut personarum divinarum dignitas earumque distinctio nobis innotescat; quare aliæ admittendæ non sunt. Sequela patet, quia ex dictis notio nihil aliud est, quam ratio quædam objectiva qua una persona divina dignoscitur, ut distincta ab alia, vel ab aliis Neque hac in re amplius immorandum est; solum advertite, ex illis quinque notionibus quatuor esse relationes, quatuor proprietates personæ, & tres tantum proprietates personales, seu constituentes personas. Item paternitatem esse simul notionem,

nem, relationem, proprietatem personæ, & proprietatem personalem.

Nota 1. Inspirabilitatem Filii non esse ponendam inter notiones, etsi innascibilitas sit notio Patris, siquidem ex eo quod quis procedat ut Filius, satis constat eum non spirari; at ex eo quod sit Pater, non constat an ab alio genitus non sit.

Nota 2. Quod etsi si notio Patris, quod non sit ab alio, non tamen est notio Spiritus sancti, quod nulla persona ab eo sit; non enim spectat ad dignitatem Spiritus sancti, quod nullam personam producat.

RESOLUTIO II. *In Deo sunt quidam actus notionales, à relationibus virtualiter distincti & in ipsis personis producentibus existentes.*] **PRIMA PARS** probatur, nam per actus notionales intelliguntur propriæ quædam unius, vel duarum personarum actiones, quibus persona aliqua producitur: at tales actiones sunt in Deo, cum Pater producat Verbum per viam intellectiōnis seu generationis, & uterque Spiritum sanctum per viam volitionis, seu spirationis.

Secunda pars ostenditur: prius enim concipimus Patrem esse constitutum in ratione personæ, & subsistentis, quam generet Filium, adeoque relationem per quam constituitur in ratione personæ, esse ratione priorem ipsa generatione actuali Filii, & consequenter ab ea ratione distingui. Contrà verò prius est secundum intellectum, quod Filius generetur, quam quod genitus sit, & constitutus per relationem filiationis: ex quo sequitur generationem passivam distingui ratione ratiocinata ab illa relatione. Quod etiam, proportionè servata, dicendum est de origine passiva Spiritus sancti. *Confirmatur*, nam intelligi non potest quod una persona verè, & realiter producat aliam, nisi inter utramque aliquid mediet per modum actionis, & productionis.

Dices, actio dicit imperfectionem, ergo non est ponenda in Deo. *Respondeo*, antecedens verum esse de actione communiter sumpta, quia hæc dicit motum, seu transitum de potentia ad actum, junctaque est cum effectione, & causalitate, adeoque cum dependentia termini producti à principio producente; nihil tamen vetat, quin detractis his imperfectionibus, ponatur actio in Deo, sicut in eo ponitur relatio, etsi hæc varias imperfectiones includat in creatis.

Tertia pars suadetur, nam Pater generat Verbum per intellectionem notionalem, atqui intellectio est in persona quæ intelligit: similiter quia Pater, & Filius per actum volitionis notionalis, spirant Spiritum sanctum, hinc spiratio activè sumpta in Patre, & Filio, non autem in Spiritu sancto esse debet. *Confirmatur*, nam Pater verbi causa, non esset summe simplex, actus purus, & infinite perfectus, si Filium generaret per actum à se realiter distinctum, qualis esset si non in Patre ipso, sed in Filio reperiretur.

RESOLUTIO III. *Actus notionales sunt aliquo sensu voluntarii, simpliciter tamen sunt necessarii, & non liberi, neque sunt de nihilo, sed de aliquo.*] PRIMA PARS patet, nam productiones personarum sunt à Deo volitæ, & amatæ per simplicem complacentiam, & eatenus dici possunt voluntariæ, voluntate concomitante. Hæc autem unica & eadem est in omnibus personis complacentia essentialis; quæ fertur in ipsas origines, & in totam Trinitatem ut à parte rei existit. Potest autem & alio modo processio Spiritus sancti dici voluntaria, quatenus nimirum voluntas se habet per modum principii respectu illius, unde distinguitur à Verbi generatione, quæ est tantum voluntaria objectivè, seu per modum objecti amati.

Secunda pars ostenditur, quia quòd absolutè non potest non esse, non est liberum, sed simpliciter necessaria.

cessarium; atqui actus notionales in Deo absolute non possunt non esse, ergo non sunt liberi, sed simpliciter necessarii. Major patet ex vulgari notione libertatis, minor verò facile probatur, supposito Trinitatis mysterio; Tam enim necessarium est esse actus notionales, quibus personæ producantur, quam necessarium est tales personas existere, atqui absolute necessarium est, quod in Deo sint tres personæ, quarum una sit improducta, aliæ productæ; aliàs personæ illæ possent non existere, adeoq; non essent Deus, cum actualis existentia sit de essentia Dei. Non ergo actus notionales in Deo sunt liberi, sed intrinsecè & naturali, eaque absolutissima necessitate necessarii.

Tertia denique pars ea ratione probatur, quia illud tantum quod creatur, dicitur esse de nihilo; At Filius, & Spiritus sanctus non creantur, ergo non sunt de nihilo, sed producantur de aliquo, nimirum de ipsa substantia Patris, quæ illis communicatur. Eo autem loquendi modo denotatur principium intrinsecum personæ productæ, non quasi materiale, ut putat Durandus, quia materia se habet ut pars, & ut potentia passiva, quomodo essentia divina non se habet respectu personæ productæ, sed potius quasi formale: quia res producta dicitur esse de substantia producentis, quatenus est illi similis in forma.

Nec refert quod forma sit pars compositi, siquidem ex communi usu, etiam natura dicitur forma, quatenus rem constituit in suo esse substantiali, & determinat ad talem speciem; quare cum substantia divina sit natura Filii, qua constituitur in ratione Dei, & veluti determinatur ad tale esse, non incongruè dici potest forma illius, sicut & aliarum personarum.

RESOLUTIO IV. *In Deo est vera potentia productiva notionalis, ad essentiam simul & relationem personæ productæ, alio & alio modo terminata.*] PRIMA PARS est communis contra Aureolum, qui non aliam intra Deum agnoscit potentiam generandi,

vel spirandi, quàm solam non repugnantiam terminorum: probatur autem, quia ubi sunt personæ verè productæ, ibi est vera potentia productiva, at Filius verè producitur à Patre per generationem, & Spiritus sanctus ab utroque per spirationem, ergo est in Deo vera potentia productiva ad intra, nempe potentia generandi, & spirandi.

Quo loco adverte, quòd etsi sola persona produçens sit principium quod productionis, principium tamen quo illius multiplex est, juxta conceptum nostrum: ac primò ipsa natura divina est virtus agendi, omnium consensu, qua ratione illius persona produçens est fœcunda, potestque se communicare ad intra, cum producat personam sibi similem in natura. Rursus cum essentia divina non sit immediatè productiva ad intra, sed per intellectum, & voluntatem, ut supra diximus contra Durandum; Hinc, etsi illa sit principium quo, remotum utriusque productionis, ipse tamen intellectus est principium quo proximum generationis Filii, & voluntas productionis Spiritus sancti. Præterea cum tota vis productiva nequeat competere essentiæ, etiam ut intellectu & voluntate affecta, quia alioqui omnes personæ haberent completè potentiam generativam, & spirativam, ea per relationem aliquatenus compleri debet; quod dupliciter intelligi potest, vel ita ut relatio sit connotatum extrinsecum, seu veluti conditio sine qua non, vel ita (quod probabilius videtur) ut relatio sit comprincipium productivum. Siquidem debet esse distinctio aliqua realis inter vim productivam, & terminum productum, neque simpliciter admitti debet, potentiam generandi & spirandi esse in omnibus personis, secundum totam suam perfectionem intrinsecam.

Secunda pars ostenditur. Nam productio sumi potest in Deo, vel ut productio vel præcisè ut communicatio; si sumatur posteriori modo, clarum est essentiam divinam esse terminum illius, quia hæc
com-

communicatur personæ productæ: si verò priori, relatio videtur esse terminus illius, eò quòd illa, producitur, seu comproducitur.

Dices 1. Divinæ productiones ad hoc tendunt, ut terminus totalis per eas productus, sit Deus, ergo Deitas est terminus earum formalis. Non sequitur, quia non ad hoc tendunt, ut earum terminus sit Deus per productionem divinitatis, sed tantum per illius communicationem.

Dices 2. Generatio univoca, qualis est divina, terminari debet ad formam in qua produciens, & productum assimilantur. *Distinguo:* Debet ad eam terminari, sive ut productio, sive ut communicatio.

CAPUT VIII.

De aequalitate, & missione Personarum divinarum.

RESOLUTIO I. *Inter personas divinas est perfecta aequalitas.* EST DE FIDE, ut colligitur ex Symbolo Athanasii: ubi statuitur tres personas coæternas sibi esse, & coæquales, & in cap. firm. de summa Trinitate, habetur personas esse coæquales, coomnipotentes, & coæternas. *Ratio* autem est, quia ibi est summa æqualitas perfectionis, ubi eadem essentia infinite perfecta reperitur; atqui eadem essentia infinite perfecta est in tribus personis, ergo tres personæ divinæ sunt inter se summè æquales, quoad perfectionem. Suadetur minor r. ex verbis illis *Ioan. 10.* Ego & Pater unum sumus, quæ à sanctis Patribus universaliter intelliguntur de unitate quoad essentiam, seu substantiam divinam, non autem de sola unitate, seu concordia voluntatis, ut putabant Arriani. Verùm quia in verbis prædictis non agitur expressè de Spiritu sancto, addendum est illud ex *v. Ioan. 5.* Tres sunt qui testimonium dant in cœlo, Pater, Verbum, & Spiritus sanctus, & hi tres unum sunt: hinc enim ex Patrum omnium sententia, efficax sumitur argumentum ad probandam divinitatem, & consubstantialitatem Spiritus sancti.

*Probat*ur eadem minor ex quinta Synodo generali, *collatione 8. can. 1.* His verbis. Si quis non confitetur Patris, & Filii, & Spiritus sancti, unam naturam sive substantiam, & unam virtutem & potestatem, Trinitatem consubstantialem, unam Deitatem in tribus subsistentiis, sive personis adorandam, talis anathema sit. Similia habentur in Concil. Tolet. 6. Canone 1. & in sanctis Patribus, quorum verba, brevitate causa, prætereo. Cum itaque tres personæ Trinitatis habeant eadem divinam essentiam infinite perfectam, consequens est summam perfectionis æqualitatem inter illas reperiri.

Nota 1. Generatim ea omnia loca Scripturæ quæ inferioritatem aliquam Filio tribuere videntur, ut plurimum intelligi de Filio secundum humanitatem: si quæ verò interdum à Patribus intelliguntur de Filio, ut est Deus, ea nihil aliud significare, quàm Filium habere à Patre substantiam divinam, & virtutem operandi. Patrem autem à seipso, sicque Patrem esse superiorem seu majorem Filio, quatenus est prior origine, & principium illius.

Nota 2. Ibi non esse omnimodam æqualitatem, ubi est prius & posterius quoad durationem, aut quoad naturam, talem autem prioritatem non habere locum in Deo, sed solam prioritatem originis, quæ cum tantum dicat unam personam esse ab alia, nullam arguit imperfectionem: sicut enim est infinita perfectionis, esse principium processionis divinæ, ita & esse terminum illius.

* *Si quæras*, quomodo intelligi possit, personam producentem non esse priorem producta, quoad durationem, vel naturam. *Respondeo* hoc ea ratione posse intelligi, quia cum persona divina habeat ab æterno totam vim producendi, & necessario producat, nihil impedire potuit, quin persona producta esset ab æterno. Cumque communitet eandem naturam improductam, & independentem quam habet, hoc fit sine prioritate naturæ, quæ veram dependentiam,
 & cau-

& causalitatem dicere solet. Unde qui ponunt inter personas divinas ordinem naturæ, explicandi sunt de ordine originis; qui ordo naturæ dicitur, quia in natura rei fundatus est, seu quia una persona naturaliter est ab alia.

* *Dices*, vel Pater genuit Filium existentem, vel non existentem, prius dici non potest, quia quod existit, non indiget ut producat, cum non producat, nisi ut existat: posterius ergo verum est, ac proinde Filius non est æqualis Patri, quoad durationem. *Respondeo* Filium existentem gigni, non quidem ita ut existat antequam generetur, sed ita ut per ipsam generationem existat: ad eum modum quo lumen producitur existens, vi ipsius illuminationis qua producitur. *Quod* si instet, Filium non extitisse, antequam generaretur, atque adeo non semper fuisse; neganda erit consequentia, quia Filius semper genitus est, ac proinde semper extitit.

Nota 3. Inclusionem illam, quæ communiter vocatur circuminfectio, esse impropriam, adeoque nihil ex ea concludi contra æqualitatem personarum. In eo enim maxime consistit, quod personæ divinæ unicam, & eandem habeant essentiam, ac proinde qualibet debeat esse in aliis, cum nulla à sua essentia possit separari. Hinc autem potius sequitur oppositum, nam si ideò Filius est minor Patre, quia est in illo; vicissim Pater est minor Filio, cum in illo sit, unde per reciprocum hunc excessum, perfectiones Patris, & Filii ita temperantur, ut ad summam æqualitatem perveniant; quod similiter de perfectionibus Spiritus sancti dicendum est.

RESOLUTIO II. *Missio convenit personis divinis, non tamen omnibus.*] PRIMA PARS est de fide, ut patet ex Scriptura, Joan. 3. Misit Deus Filium suum, & 15. Cum venerit Paraclitus, quem mittam vobis à Patre. Eadem probatur ratione, quia per missionem hic intelligitur æterna processio Personæ divinæ, cum habitudine ad effectum temporalem, sive

sive visibilem, sive invisibilem. At Filius, & Spiritus sanctus à Patre ab æterno, processerunt, & in tempore extra eum veluti exierunt, ad externam manifestationem, vel collationem alicujus doni creati; quare ab eo missi sunt.

Dices, mitti ab alio, dicere imperfectionem in persona missa. *Respondeo*, hoc verum esse, de missione quæ fit per imperium, ut cum servus mittitur à Domino suo; vel per consilium, ut cum Rex à suis Consiliariis mittitur in bellum. Sic autem non fit missio personarum divinarum, sed tantum per originem, cum ordine ad quendam effectum temporalem, in quo nulla est imperfectio.

Secunda pars ex dictis colligitur, nam cum missio includat originem personæ missæ à mittente, consequens est unam personam propriè non posse mitti, nisi ab ea à qua procedit, unde Pater potest mittere Filium, & Spiritum sanctum, ipse verò à nemine mitti potest, quia à nullo procedit. Neque refert illud *Isa.* 48. de Christo intellectum, & nunc Dominus misit me, & Spiritus ejus, ea enim verba, si loquuntur de propria missione, debent intelligi de missione Christi, ratione humanitatis.

RESOLUTIO III. *Missio duplex est, visibilis & invisibilis.* DECLARATUR, nam tunc contingit missio visibilis, quando persona missa per signum aliquod sensibile novo modo exterius apparet: ejusmodi fuit missio Verbi, quando humanitatem assumpsit, & missio Spiritus sancti, quando in specie columbæ, & in linguis igneis apparuit: Missio autem invisibilis habet locum, quando persona mittitur ad dandum effectum aliquem occultum ordinis supernaturalis, qualis est gratia sanctificans.

Quo loco adverte 1. In missione invisibili, non tantum dona gratiæ, sed personas etiam ipsas mitti, ut patet ex Scriptura, quæ propriè intelligenda est, cum nihil huic sensui repugnet. *Confirmatur*, quia rei missæ tribuuntur effectus varii, *Joan.* 14. & 15. qui non possunt

possunt oriri ab ipsis donis creatis, sed à persona divina duntaxat, ut docere, suggerere, testimoniū perhibere, & similia. Neque refert quòd Spiritus sanctus non incipiat esse de novo in anima quæ justificatur, sufficit enim quòd si per impossibile in ea non esset, per suam realem præsentiam in puncto justificationis ei se realiter præsentem exhiberet.

Adverte 2. Missionem invisibilem fieri ad omnes participes gratiæ, ut patet ex dictis, unde ad Christū facta est invisibilis missio, in principio suæ conceptionis, non autem postea, eò quod in eo instanti fuit repletus gratia, quæ nunquam deinceps aucta fuit; missio autem visibilis Spiritus sancti ad Christum in Jordane, non fuit signum invisibilis tunc factæ, sed aliàs in puncto Incarnationis. Fit etiam missio invisibilis ad omnes beatos, tum in ipso initio beatitudinis, quando ad perfectissimam summi boni possessionem, quæ arctissimam Spiritus sancti præsentiam, & cum illo unionem comprehendit, eveniunt. Tum postea quando aliqua mysteria illis de novo revelantur. Cæterum missio invisibilis non habebit locum in beatis, post diem judicii; quia tunc eorum cognitio nullum augmentum recipiet, sed per totam æternitatem invariata manebit.

Tandem missio invisibilis facta est ad Patres veteris testamenti, cum gratiam sanctificantem, & eximiam charitatem acceperint, ut satis patet ex Scriptura. Fit etiam quotidie ad omnes homines, qui de novo justificantur; imò & probabiliter, ad eos quæ augmentum gratiæ recipiunt, saltem quando hoc augmentum tale est, ut quis proficiat in novum aliquem actum, vel statum gratiæ, ut si ad gratiam miraculorum, vel Prophetiæ evehatur, aut si ex fervore charitatis exponat se martyrio. Verum hæc de missione tam visibili, quàm invisibili generatim dicta sufficiant; nam quod spectat ad præstantissimam divini Verbi visibilem missionem, quæ non ad repræsentandum instituta est, sicut visibilis missio Spiritus sancti,

sancti, sed ad subsistendum in natura humana, de ea speciatim, in altera hujus libri parte, deinceps agendum erit.

CAPUT IX.

De existentia Incarnationis.

RESOLUTIO I. *Mysterium Incarnationis est possibile, seu fieri potest ut Verbum divinum naturam humanam in unitatem personæ sibi copulet.*] EST CERTA EX FIDE, eaque ratione probatur, quia ab actu ad potentiam legitima est consequentia, ut ajunt Philosophi; atqui Incarnatio actu peracta est, ut infra ostendemus, ergo ex se est possibilis. *Confirmatur* nam illud est possibile, quod repugnantiam non involvit; at quod Verbum incarnetur nullam repugnantiam involvit, ergo id possibile censei debet.

Nota, non facile concipi posse, quomodo persona divina possit de novo uniri substantialiter humanitati, sine sui mutatione, saltem supposita communiori sententia, de qua infra, quæ statuit inter Verbum, & humanitatem intercedere modum quendam unionis, & nexum substantialem ab utroque extremo aliquo modo distinctum: non enim apparet, quæ ratione possit esse nexus inter duo, nisi utrumque intrinsecè attingat & afficiat, adeoque immutet; Quare cum, ex fide, persona divina sit immutabilis, hinc colligi videtur Incarnationem esse planè impossibilem. *Verum* ad hoc dici potest: primo, per Incarnationem Verbum eo sensu uniri substantialiter humanitati, ut per suam subsistentiam terminet hypostaticè humanitatem, adeoque Verbum fiat homo, non essentialiter, sed terminativè, seu hypostaticè, quod sine ulla mutatione in ipso Verbo facta facile intelligi potest, cum terminare non sit in se aliquid recipere, sed ab alio respici.

Secundò, posse intelligi nexum substantialem inter Verbum & humanitatem, qui subjective in
sola

folâ humanitate recipiatur, & dicat intrinsecè ordinem ad Verbum, tanquam ad terminum hypostaticum: quemadmodum omnes fateri debèt, inter corpus & animam rationalem esse nexum quendam substantialem, qui sive sit spiritalis, sive corporalis, non potest esse subjectivè in utroque extremo.

RESOLUTIO II. *Possibilitas Incarnationis non potest à nobis evidenter cognosci.*] PROBATUR 1. ex Scriptura. *Isa. 53.* habentur verba illa, generationem ejus quis enarrabit; quæ à variis Patribus intelliguntur de Verbi Incarnatione, ut refert Cornelius à Lapide in eum locum. Vocat etiam Paulus *Ephes. 3.* hoc mysterium, investigabiles divitias Christi; & Sacramentum absconditum à sæculis in Deo.

Idem hac ratione concluditur: ut naturaliter cognoscamus mysterium Incarnationis, eo modo quo peractum est, esse possibile, quatuor lumine naturali debemus cognoscere. 1. Naturam humanam posse privari propria subsistentia & sine illa existere in rerum natura. 2. Eam posse terminari aliena subsistentia, & per eam subsistere. 3. Eam posse terminari subsistentia divina. 4. Eam posse assumi à Verbo divino. At ista evidenter à nobis cognosci nequeunt lumine naturali, non 1. quia sicut non possumus naturaliter certò cognoscere, accidens existere posse in rerum natura, quin subjecto inhaereat: ita neque quod natura substantialis careat propria subsistentia, & alteri inexistat. Non 2. quia subsistentia est modus quidam naturæ substantialis; at experientia satis ostendit, rem aliquam non posse modificari per modum alterius: quare ratio naturalis facile judicabit, naturam aliquam substantialem non posse subsistere per alienam subsistentiam. Non 3. quia vix ratio naturalis concipere potest, Deum in tempore fieri hominem, quin statim judicet illum mutari, ut patet ex dictis; quare cum sciat talem imperfectionem in Deum cadere non posse, hinc colliget

Incar-

Incarnationem non esse possibilem. Nota 4. quia hoc cognosci nequit, nisi habeatur distincta notitia mysterii Trinitatis, quod naturaliter impossibile est. Ex iis ergo perspicuum relinquitur, nos solis naturæ viribus, evidenter cognoscere non posse, Incarnationem esse possibilem.

Nota 1. Quod etsi homo cognoscat generatim, & in confuso, Deum posse efficere quicquid non implicat contradictionem, non tamen speciatim an sit possibilis Incarnatio, quia non constat naturaliter, an talis sit ut non implicet contradictionem.

Nota 2. Sybillas, etsi essent foeminae gentiles, & fide supernaturali carentes, hoc mysterium agnovisse ex speciali revelatione, ut constat ex S. Thoma 2. 2. q. 2. art. 7. ad 3. quare hinc nihil concluditur contra resolutionem allatam, quæ procedit de cognitione per lumen naturalis rationis.

RESOLUTIO III. *Incarnatio de facto peracta est.* EST DE FIDE, & facile probatur, tum ex propheta illa *Genes. 49.* Non auferetur sceptrum de Juda. Hinc enim patet reges non defecturos de tribu Juda, donec veniat Messias, seu Salvator mundi: at multis jam ab hinc sæculis Judæi carent Rege, Duce, sacrificio, &c. tum ex verbis illis *Joan. 1.* Et Verbum caro factum est, tum quia Christus est verus homo, ut constat ex *Joan. 6. & 8.* est etiam verus Deus, ut patet ex *Philip. 2.* variisque locis Evangelii; at nequit esse simul Deus, & homo, quin unio Verbi cum humanitate adeoque Incarnatio facta sit.

Hic porro ad varias Judæorum objectiones diluendas, duo observanda sunt. 1. Multa dici in Scriptura de regno Messia, de potestate illius, de pace quam allaturus est, aliisque similibus quæ spiritualiter, & metaphoricè sunt intelligenda, ut non obscure colligi potest ex loco illo *Zach. cap. 9.* Ecce Rex tuus venit tibi justus, & salvator, & ipse pauper, & ascendens super asinam; quare non leviter hallucinantur Judæi, qui ea carnaliter & ad litteram intelligunt, ut probent Messiam nondum adventasse. Secund-

DE CHRISTO CAP. IX. 189

Secundo observandum, duplicem esse distinguendum Christi adventum, unum ad redimendos homines à captivitate dæmonis, & à morte æterna liberandos; alterum ad eos judicandos de iis quæ in hac vita sive bene, sive male gesserint: defectu autem hujus distinctionis errandi ansam Judæi sumunt, cum ea quæ de ultimo Christi adventu prædicuntur, priori attribuant; quare cum ea nondum impleta videant, hinc colligunt Messiam nondum venisse: cum tamen inde solum colligi possit, eum nondum advenisse ad judicandos homines.

RESOLUTIO IV. *Varia convenientia in Incarnatione spectari possunt.*] AC I. quod Incarnatio fuerit per se Deo conveniens, ea ratio suadet, quia ut ait S. Tho. 3. p. q. 1. art. 1. illud est conveniens alicui, quod ei convenit secundum rationem naturæ propriæ; at de ratione boni est se aliis communicare; ergo cum Deus sit summum bonum, ei valde conveniens est, summè se communicare, quod fit per Incarnationem.

**Neque dicas, Incarnationem non esse Deo liberã si ab eo peragitur, secundum inclinationem propriæ naturæ. Nam etsi inclinatio ad se communicandum, sit Deo naturalis & minimè libera, actualis tamen communicatio liberè fit; sicut homo actu ridet liberè, etsi naturaliter habeat inclinationem ad ridendum.*

Rursus, quod Incarnatio fuerit conveniens naturæ humanæ, etsi non esset juxta exigentiam illius naturalem: Probatur, quia si natura humana non leviter ex eo decoratur & perficitur, quod evecta sit ad statum gratiæ: quanto magis dicendum est eam nobilitari ex eo quod ad unionem hypostaticam elevetur: siquidem in priori casu recipit tantum participationem aliquam creatam, & accidentalem divinitatis: posteriori verò unitur personæ divinæ substantiam, adeo ut idem qui est homo sit Deus.

Dices, illud nõ est conveniens alicui naturæ, quod eam

eam ponit in statu violento, atqui Incarnatio constituit naturam humanam in statu violento, ergo saltem illi non est conveniens. Probatur minor, siquidem per Incarnationem humanitas Christi privatur propria subsistentia, ad quam semper retinet appetitum naturalem. *Respondeo* negando minorem, quia cum humanitas Christi per subsistentiam Verbi multo magis perficiatur, quam per subsistentiam propriam, appetitus quem habet ad subsistendum est perfecte expletus, adeoque nullam violentiam patitur.

Præterea quod Incarnatio fuerit medium valde conveniens ad redimendos homines, ea ratione ostenditur, quia Verbum de facto incarnatum fuit ad redimendum genus humanum, ergo Incarnatio fuit medium valde conveniens ad talem finem.

Antecedens supponitur ex infra dicendis, sequela inde patet, quia maximam Deo, & sapientiæ illius infinitæ irrogaret injuriam, qui diceret eum nescire aptare media convenientia, ad assequendum finem aliquem sibi propositum. Denique quod Incarnatio tempore convenienti sit facta, constat ex S. Tho. *quæst. cit. art. 5. & 6.* quæ loca videnda sunt.

CAPUT X.

De necessitate Incarnationis.

RESOLUTIO I. *Non fuit necessaria Incarnatio ex hypothese creationis mundi, vel peccati, vel redemptionis ab illo, etiam ex rigore justitiæ, sed ut redemptio hominum fieret convenientiori modo*] **PRIMA PARS PROBATUR**, quia Incarnatio est opus Dei liberum, non minus quam mundi creatio, neque ullam habet connexionem cum illa, præsertim quia est opus maximè supernaturale, atque adeo longè excedens exigentiam naturalem rerum creaturarum, quare ex eo quod Deus se determinaverit ad creaturum hoc universum, nulla ratio fingi potest, cur etiam

etiam se determinare debuerit ad opus Incarnationis efficiendum.

Secunda pars suadetur. Nam etsi homo peccaverit, poterat Deus, cum sit maximè potens, & libet ad extra, neque ab illo satisfactionem exigere, neque ei peccatum condonare, sicque eum sine remedio relinquere, sicut reliquit Angelos, juxta illud *Sapientie 12.* Quis tibi imputabit, si perierint nationes, quas tu fecisti: id est, etsi illas sine remedio deseras.

Dices, impossibile est quod indecentia aliqua in Deum cadat, qualis esset si omnes homines sine remedio relictii essent. *Respondet,* nullam posse reperiri in operibus Dei indecentiam positivam, quæ scilicet sit contraria honestati, & decentiæ alicujus virtutis; posse tamen negativam, quatenus potest fieri ut non habeant omnem perfectionem possibilem.

Tertia pars ostenditur, quia poterat Deus aliter quàm per Incarnationem, liberare hominem a peccato, nimirum aut omnino gratis condonando illi injuriã, non exigendo ullum actum pœnitentiæ, ex parte illius, aut exigendo ab illo aliquem actum pœnitentiæ quo ipsius justitiæ modo possibili satisfaceret. Imò etsi vellet Deus hominem liberare a peccato, ex rigore justitiæ, non erat necessaria Incarnatio, quia si Verbum assumpsisset naturam Angelicam, potuisset in ea perfectè satisfacere per actus amoris, aliosque similes eò quòd tales actus, ob dignitatem personæ, fuissent valoris infiniti. Supposito tamen quòd Verbum nollet naturam Angelicam assumere, Incarnatio erat absolutè necessaria, ad redimendos homines de rigore justitiæ.

Quarta pars probatur. Nam ex eo quòd Verbum sit Incarnatum pro nobis, imprimis fides nostra certior redditur, spes magis erigitur, charitas erga Deum, magis accenditur, efficacius ad bene operandū movemur, ac denique plenius divinitatem participamus quàm si Verbum sumpsisset naturam Angelicam, invisibilem, in qua nec pati pro nobis potuisset, nec nobiscum

nobiscum

nobiscum visibilibus conversari, ut fecit in natura humana: quare ob hanc, aliasque non paucas rationes, quæ ex Patribus colligi possunt, fit ut Incarnatio fuerit necessaria, ex hypothese quod redemptio hominum facienda esset, modo convenientiori.

RESOLUTIO II. *Opera Christi habebant valorem sufficientem, imò & infinitum ad satisfaciendum pro peccatis hominum, idque ex intrinseca sua dignitate.* **PRIMA PARS PROBATUR**, quia Christus de facto pro peccatis hominum satisfecit, eosque redemit à potestate dæmonis, ut fides docet, & apertè colligitur ex Scriptura *Matth. 20.* Filius hominis venit ministrare & dare animam suam in redemptionem pro multis. *Roman. 3.* Quem proposuit Deus propitiationem, propter remissionem præcedentium delictorum, aliisque locis, ergo opera illius ad talem satisfactionem, & redemptionem erant sufficientia.

Hoc autem ita intellige 1. ut Christus non tantum pro culpa, sed etiam pro pœna omnibus peccatis debita satisfecerit. Propter hanc enim præcipuè causam dicitur, nos eripuisse de potestate tenebrarum, & peccata nostra pertulisse in corpore suo, super lignum, id est, pœnas peccatis nostris debitas. 2. Ut Christus pro omnibus satisfecerit ad sufficientiam, nullus enim est qui omnino careat auxiliis ad salutem necessariis; ea autem tribuuntur ex Christi meritis. Quia tamen ea satisfactio non habet effectum; nisi in prædestinatis, eò quod alii in peccatis moriuntur: ideo Christus pro prædestinatis tantum dicitur satisfecisse, quoad efficaciam.

Secunda pars suadetur. Tum quia ex Paulo ad *Rom. 3.* opera Christi fuerunt digniora ad salvandos homines, quàm peccatum Adæ fuerit sufficiens ad eos perdendos, unde addit, ubi abundavit delictum, superabundasse gratiam. Tum quia Clemens VI. in Extravagante Unigenitus, de poenitentiis & remissionibus docet infinitum esse thesaurum satisfactionum, & meritorum Christi, & unam guttam sanguinis

nis illius fuisse sufficientem, propter unionem ad Verbum, pro redemptione humani generis.

Tertia pars est communis contra Scotum, & quosdam alios qui docent, satisfactionem Christi non fuisse ex se sufficientem, nedum infinitam ad satisfaciendum pro peccatis hominum, sed tantum ex acceptatione divina. Probatur autem, quia etsi opera Christi in se spectata præcisè, quatenus procedebant ab humanitate, essent valoris finiti, neque haberent proportionem cum injuria divina, ut tamen procedebant à supposito Verbi infinite digno, ut sic dignitatem & valorem infinitum participabant: quia scilicet dignitas satisfactionis augetur, juxta dignitatem personæ satisfaciendæ, cum è contra injuria augeri soleat, juxta dignitatem personæ offensæ.

Nota 1. Ut satisfactio sit infinita, satis esse quòd procedat à persona ut infinita, tanquam à principio quod, etsi ab ea non procedat tanquam à principio quo. 2. Satisfactionem Christi esse simpliciter infinitam, etsi peccatum erga Deum simpliciter infinitum non sit ex infra dicendis: quia persona multò magis communicat suam dignitatem, & qualitatem actioni quæ ab illa fit, quàm actioni quæ circa illam fit. 3. Satisfactiones Christi esse inæquales secundum se, æquales vero ut procedunt à persona Verbi.

RESOLUTIO III. *Valor infinitus operum Christi merito referri debet in Verbum, ut sustentans humanitatem tanquam suppositum illius, & per eam operans.] PROBATUR 1. ex Patribus, qui valorem operum Christi ad nos salvandos, ex eo sumunt, quod Verbum ipsum agebat, patiebatur, se offerebat Patri, &c. At hæc illi propriè competebant, quatenus erat suppositum humanitatis; sic enim constituebat cum illa unicum operans, offerens, & patiens; sicut fit in aliis suppositis, respectu naturæ quam sustentant.*

Probatur 2. ratione, nam negari non potest quin juxta moralem estimationem, actiones suam pretium,

tium, & valorem desumant à dignitate personæ operantis. Ille enim est sensus communissimus omnium hominum, quem planè evertunt qui oppositum sentiunt. Cùm ergo ex illo capite operationes Christi valorem infinitum sumere potuerint, propter infinitam dignitatem personæ operantis, frustra agunt qui docent, totum valorem accipiendum esse à persona Verbi, qua parte tantum erat forma sanctificans humanitatem.

Dices 1. Ex hypothesi impossibili quòd Verbum sustentaret humanitatem, & tamen eam non sanctificaret; illius operationes nullius essent valoris; ergo valor infinitus quem de facto habent, non à sustentatione, sed à sanctificatione sumendus est. Verùm id non sequitur, quia ut Verbum actu non elever operationem aliquam, ad valorem quem ex se illi tribuere potest, satis est quod desit aliqua conditio ad meritum necessaria; at talis conditio deest in dicta hypothese, nempe sanctitas ipsius naturæ proximè operantis.

Dices 2. Si valor operis cresceret in Christo, juxta dignitatem personæ operantis, sequeretur à pari idè opus, eò ipso magis esse meritorium, quò fieret ab homine in majori gratia constituto; consequens autem est absurdum, quia aliàs Deus unicuique non retribueret secundum opera ejus.

Respondeo negando minorem, & ad illius probationem dicendum, id non sequi quod infertur, eò quòd cum major gratia hominem in quodam gradu excellentiori constituat, idem præmium, juxta moralem æstimationem, non habet tantam adæquationem cum illo, quantam cum alio qui minori gratia sanctificante præditus est: unde fit, ut Deus hominibus in gratia inæqualibus propter idè opus tribuens præmium inæquale, verè dicatur unicuique tribuere secundum opera ejus, id est, secundum valorem, & æstimationem operis, prout ab eo eliciti.

RESOLUTIO IV. *Satisfactio Christi fuit ex vera, & rigorosa justitia.*] PRIOR PARS PROBATUR ex Scriptura, quæ ait, nos à Christo emptos esse pretio magno, & redemptos, eumque delevisse chirographum quod erat contrarium nobis, ipsumque tulisse de medio, & cruci affixisse, atqui emere aliquid, redimere captivos, delere chirographum, debitum solvendo, aliaque id genus spectant ad justitiam veram, & propriam. Cùm ergo intelligantur de Christi satisfactione, negari non potest quin ea fuerit ex vera, & propria justitia, ut etiam Patres ex iisdem locis observant.

Secunda pars ostenditur. Nam illa solet dici justitia rigorosa, quæ est æqualis, ad alterum, quæ fit ex propriis, & aliis indebitis, quæque non ita fundatur in gratia creditoris, ut pars aliqua debiti gratis remittatur. Atqui istæ omnes conditiones sufficienter reperiri possunt in satisfactione Christi, ergo sine incommodo dici potest, eam fuisse ex rigore justitiæ. Minor ostenditur per singulas partes; nam in primis quod Christi satisfactio sit æqualis, imò & superabundans, patet ex *resol. 2.*

Deinde, quod sit ad alterum, probatur, quia Christus ut homo, sibi satisfecit ut Deo, atque adeo toti Trinitati quæ offensa fuerat: quamvis enim Christus ut Deus & homo, non haberet distincta supposita, habebat tamen duas naturas intellectuales & liberas, quibus competebant distincta jura, & dominia in proprias operationes; quare quod offerebat secundum voluntatem unius, poterat acceptare per voluntatem alterius, & ita sibi ipsi satisfacere pro injuria accepta. Quemadmodum Christus ut homo, sibi ut Deo obediebat, & seipsum orabat: etsi ad obediendum alicui, vel eum rogandum, non minùs necessaria sit distinctio suppositi, quàm ad illi satisfacendum.

Nec refert quod inter homines, justitia sit ad alterum distinctum supposito; hoc enim non fit præcisè,

quia distincta sunt supposita, sed quia singula habent naturas distinctas, & dominia distincta, ut vel ex eo patet; quia iustitia non habet locum, quando iura distincta non sunt, ut inter patrem, & filium non emancipatum, esto distincta sint supposita.

Rursum, quòd sit ex propriis, probatur, quia Christus ut homo; habebat verum & proprium dominium in suos actus; nec refert quòd tales actus essent etiam sub dominio Dei, hoc enim dominium est generale, & alterius rationis; quare non impedit quominus vera iustitia inter Deum, & Christum intercedere possit, ut vel ex eo patet; quia aliàs cum Deus sit rerum omnium Dominus, iustitia commutativa non posset habere locum inter ipsos homines.

Præterea quòd sit ex aliàs indebitis, probatur, quia etsi posset Deus exigere aliunde à Christo, satisfactiones omnes quas ei obtulit, non tamen de facto eas sic exegit, quare potuit Christus per illas Deo ex iustitia satisfacere pro peccato hominum. Quem admodum potest servus exhibendo signa honoris satisfacere suo Domino pro injuria ei illata, quam diu Dominus ejusmodi signa aliunde ab eo non exigit.

Denique, quòd in satisfactione Christi pars aliqui debiti gratis remissa non sit, hinc perspicuum est, quia illius satisfactio, non modo fuit æqualis debito, sed etiam superabundans, ut constat ex supradictis. Quare ex eo etiam capite fuit de rigore iustitiæ, etsi inter homines oppositum contingat, quando creditor unam partem debiti gratis remittit & aliam pro totali solutione acceptat.

Nota, quòd etsi absolute, & citra omnem conventionem, satisfactio fieri debeat à persona qua offendit, si tamen creditor contentus sit satisfactione ab alio oblata, tam perfecta & rigorosa erit satisfactio, quàm si fieret ab ipso offendente: quia qui se offert illius personam sustinet, quod secundum moralem æstimationem perinde est, ac si ipsemet satisfaceret.

unde

unde dicitur Christus factus in similitudinem carnis peccati, seu peccatoris, ut omnes salvaret.

RESOLUTIO V. *Non potuit purus homo condignè satisfacere pro peccatis hominum.*] EST CERTA apud Theologos cū evidenter sumatur ex Patribus Græcis, & Latinis, qui vulgò docent necessariam fuisse Verbi Incarnationem ad redimendos homines, nimirum ad æqualitatem, & ex perfecta justitia; eum solum qui erat Deus, potuisse nos perfectè à peccatis liberare, & similia; ex quibus manifestè colligitur, non potuisse purum hominem aut quamcunque aïam creaturam offerre satisfactionem condignam, & ad æqualitatem pro peccatis hominum.

Ratio communior, & probabilior est, quia etsi malitia peccati simpliciter sit finita, ut ex ipsa distinctione specifica, & inæqualitate peccatorum satis colligi potest, & latius dicitur in Idea Theologiæ Moralis, ea tamen tanta est, ut dignitas satisfactionis à pura creatura exhibitæ, ei moraliter adæquari non possit. Cùm enim Deus infinitis partibus dignitatem cuiusvis creaturæ superet, multò magis secundum moralem æstimationem, censetur ille contemni, per opus ipsius legi contrarium, quàm censetur honorari per quantumvis eximiam satisfactionem, ei à pura creatura oblatam. Siquidem gravitas offensæ ex una parte spectari solet, secundum dignitatem illius qui offenditur supra offendentem; dignitas verò satisfactionis ex alia, à persona satisfaciente sumitur: quare cùm nulla sit proportio inter puram creaturam, & Deum, hinc fit eam non posse illi offerri satisfactionem æquivalentem pro culpa, etsi alioqui finita quoad malitiam.

Dices, si peccatum simpliciter finitum est, cur non poterit pro eo homo adæquatè satisfacere, saltem obsequiorum multitudine, excellentia, & dignitate?
Respondeo, quia cùm satisfactio sit ordinis inferioris, per eam sufficienter compensari non potest offensæ, quæ spectat essentialiter ad ordinem superiorem.

Instabis, res physicè superiores, plerumque cōpensantur per inferiores, verbi causa, aurum per argentum, ergo quod offensa sit in altiori ordine, id non sufficit ut per satisfactionem ab homine oblatam, compensari non possit. *Verum* negatur paritas, quia etsi aurum, & argentum physicè sint diuersi ordinis, moraliter tamen, seu quoad usus humanos sunt semper ejusdem ordinis. At offensa in morali aestimatione, sumit suum valorem à persona, quæ offenditur, & satisfactio vice versa à persona satisfaciente; quæ semper infinitè vilis est respectu Dei, adeoque omnino improporcionata, ut ei condignè satisfaciatur.

Dices 2. Potest homo justus de potentia extraordinaria, mereri alteri de condigno gratiam, ergo & cōdignè pro illius peccato satisfacere. *Non sequitur*, quia etsi reperiatur proportio inter opus justæ gratia ortum, & gratiam, non tamen inter illius satisfactionem, & injuriam; eò quod idem opus spectatum ut satisfactorium, jam decrescit juxta vilitatem personæ satisfaciendæ, ut dictum est.

RESOLUTIO VI. *Non potest homo satisfacere Deo ad æqualitatem, pro peccato mortali proprio in quo versatur.*] EST COMMUNIS & certa, quia aliàs non fuisset necessaria Incarnatio ad perfectam hominum redemptionem, quisque enim pro se potuisset satisfacere. Est autem difficultas in assignanda ratione talis impotentia. Nonnulli sic argumentantur. Non potest illa satisfactio esse perfecta, in qua non potest non intervenire, ejus, cui satisficit liberalis & gratuita condonatio, qua partem debiti remittit; atqui talis est satisfactio hominis, pro suo peccato mortali satisfaciendæ, ille enim satisfacere nequit, nisi per aliquem actum supernaturalem ex gratia elicitem; atque adeò nisi ipsi gratis remittatur debitum carenti in perpetuum omni auxilio gratiæ, quod per peccatum contraxit.

Verum hæc ratio facilè rejicitur: quia ex ea sequeretur, satisfactionem Christi non fuisse æqualem, eò quod

ed quòd homo merebatur privari in æternum, non modo auxiliis gratiæ, sed etiam redemptore; hoc autem debitum fuit hominibus gratis remissum, antecederet ad satisfactionem Christi. Deinde si hæc ratio valeret, sequeretur posse hominem saltem ex gratiæ auxilio, perfectè se liberare à tota peccati macula, sicque non fuisset necessaria Incarnatio ad hominem redimendum ab ipso peccato, quod certè non debet admitti.

Melius ergò hujus impotentia ratio ex præcedenti resolutione sumi potest. Nam si homo justus non potest pro peccatis aliorum condignè satisfacere, multò minùs poterit peccator pro se satisfactionem æquivalentem offerre, quia cum sit Deo exosus, ejus satisfactio non tam apta est ad eum placandum, quam satisfactio ipsi à justo oblata.

Adde quòd si posset peccator dicto modo satisfacere, hoc fieret per actum amoris Dei, vel contritionis, quatenus aliqui existimant hos actus habere ex se vim formaliter expellendi peccata, sine nova condonatione, vel acceptance ex parte Dei; at ejusmodi suppositionem falsam esse constabit ex lib. 4. ubi ostendemus contritionem, vel amorem Dei actualem non esse formam sanctificantem, & peccata expellentem, sed tantum dispositionem ad talem formam.

Dices, ille satisfacit ex justitia, qui reddit quantum potest, at homo per actum contritionis, vel amoris Dei super omnia reddit quantum potest ergo, &c. *Respondeo* satisfactionem illam esse ex justitia quadam imperfecta, quatenus debitor non obligatur sub peccato amplius solvere, non autem ex justitia perfecta, quia semper manet antiqua obligatio solvendi reliquum, quando vires tulerint.

* *
*

De substantia Incarnationis.

RESOLUTIO I. *Christi humanitas non est producta formaliter per ipsam Incarnationem.*] PROBATUR 1. quia illud quod præsupponitur Incarnationi, non est productum per Incarnationem: A humanitas Christi fuit præsupposita Incarnationi; siquidem Incarnatio est actio unitiva, quæ versatur circa Christi humanitatem, ut eam realiter Verbo uniat, quare illam existentem præsupponere debet, quemadmodum actio qua anima rationalis unitur corpori, præsupponit ipsam animam jam existentem.

Secundo, actio qua humanitas substantialiter unitur Verbo, est intrinsecè supernaturalis, & tendit ad terminum supernaturalem; productio vero humanitatis est actio, quoad suam substantiam naturalis, sicut ipsa humanitas est quid spectans ad ordinem naturæ; ergo incarnatio non est productio ipsius humanitatis, sed ab ea formaliter distinguitur: cum eadem actio supernaturalis simul & naturalis esse nequeat.

Nota 1. Quod eodem instanti temporis quo Virgo concurret influxu materno, ad productionem humanitatis, ipsa humanitas fuit Verbo unita per actionē distinctam; atque ita Virgo mater Christi, seu hominis Dei facta est. Unde non sequitur quod productio humanitatis, & unio illius cum Verbo sit unica & eadem actio, sed tantum quod sint duæ actiones in eodem temporis instanti elicite.

Nota 2. Animam rationalem prius natura existere, quam subsistat, licet non prius tempore; creationem verò dici subsistentium, non formaliter, sed consecutivè, quatenus res quæ creatur, per creationem formaliter accipit existentiam è nihilo, subsistentiam vero consequenter tanquam ultimum complementum substantialis existentiæ; unde anima Christi prius
natura

natura existit, quam verbo unita sit, adeoque per
 lem unionem non accepit existentiam.

Dices, humanitas Christi est producta, ut in Verbo
 existens, ergo ut ipsi unita atque adeo productio hu-
 manitatis est formaliter ipsius unitio cum Verbo.
Respondeo cum distinctione; est producta ut in Verbo
 existens, id est, ita ut eodem instanti temporis quo
 producta est, fuerit Verbo unita, conceditur: Ita ut i-
 ipsa productio habuerit formaliter pro termino e-
 jusmodi unionem, negatur. Nam productio termina-
 ta est ad existentiam humanitatis, unitio verò seu In-
 carnatio ad unionem illius cum Verbo.

RESOLUTIO II. *Humanitas Christi non existit
 per existentiam Verbi, sed per existentiam propriam.* EST
 COMMUNIS contra Thomistas, tum quia intelli-
 nequit, quòd res aliqua sit entitas actu, per aliquid
 à se distinctum; tum quia Verbum assumpsit animam
 à Deo creatam, & corpus à Spiritu sancto efformatū,
 adeoque actu existens in rerum natura; tum denique
 quia cum mater tribuat existentiam naturalem Fi-
 lio, si humanitas Christi existeret per existentiam
 Verbi, sequeretur Virginem non esse matrem illius
 naturalem, sed potius instrumentum à Deo assum-
 ptum ad effectum supernaturalem.

Dices 1. Si actio Virginis terminata est ad existen-
 tiam naturalem humanitatis, quomodo est mater
 Dei? *Respondeo*, quam attigit ultimam dispositionem,
 qua posita Verbum unitum est humanitati: sicut Phi-
 lippus est pater Alexandri, etsi animam non attige-
 rit; quia attigit ultimam dispositionem, qua posita,
 anima infusa est.

Dices 2. Patres sæpe docent, naturam humanam
 non habere in seipsa existentiam, sed in Verbo. *Re-
 spondeo* eos qui ita loquuntur, non velle, humanitatem
 Christi formaliter existere, per existentiam Verbi,
 sed eam existere dependenter à Verbo seu Verbo in-
 existere, ut loquuntur Theologi.

Nota, etsi in Christo non sit nisi unum esse exi-

stentia totale & completum, in eo tamen esse plures existentias veluti partiales; ad eum ferè modum quo, licet in homine sit una simpliciter existentia, alia tamen est partialis existentia animæ, alia corporis.

RESOLUTIO III. *Unio hypostatica non est facta in natura, ita scilicet ut ex unione Verbi cum humanitate una quedam natura resultaverit.* EST DE FIDE, cōtra Eutychem, & illius asseclas, qui dicebant, post unionem non esse in Christo nisi unam naturam; quod tripliciter intelligi potest, vel ita ut natura divina conversa fuerit in carnem, vel ita ut natura humana in divinam mutata fuerit, vel tandem ita ut ex commixtione utriusque naturæ, tertia quedam natura resultaverit; quemadmodum ex unione plurium elementorum mixtum exoritur.

In eo igitur sensu resolutio negativa fuit definita in variis Conciliis, quorum verba apud recentiores videri possunt, sufficiat illud ex Concilio Calced. *act. 5.* in Symbolo fidei. Confitemur in novissimis diebus Filium Dei unigenitum in duabus naturis inconfusè, immutabiliter, indivisè, inseparabiliter agnoscendum, nunquam sublata differentia naturarum propter unionem. Similia habentur in aliis Conciliis, quibus subscribunt Patres Græci & Latini communi consensu, speciatim verò Leo *epist. 10. ad Flavianum cap. ultimo*, ubi relata professione Eutychetis. Miror, inquit, tam absurdam, tamque perversam ejus professionem, cum tam impiè duarum naturarum ante Incarnationem, unigenitus Dei Filius fuisse dicatur, quàm nefariè postquam Verbum caro factum est, natura in eo singularis asseritur.

Potest autem hæc veritas manifestè probari, ex eo quòd Christus sit verus Deus, & simul verus homo, ut suprà diximus: hoc autem falsum esset, si in illo facta esset naturarum transmutatio, aut confusio aliquo ex modis prædictis: nam si divinitas esset mutata in humanitatem, divinitas non existeret, ac proinde

non

non posset Christus per eam denominari Deus, quare esset tantum homo: si autem humanitas esset conversa in divinitatem, Christus non esset homo, sed Deus propter similem rationem; quod si ex divinitate & humanitate tertia quaedam natura esset composita, jam Christus neque esset Deus, neque homo; sicut mixtum non est aqua vel aër, etsi ex eis coalescat. Cum ergo ex fide constet, Christum esse Deum & hominem, hinc planè sequitur in eo esse formaliter utramque naturam, divinam & humanam.

Confirmatur, quia natura divina est essentialiter incorruptibilis, ingenerabilis, & omnino immutabilis, ergo repugnat quod convertatur in carnem, aut in aliquid tertium, quia, jam corrumpetur, & desineret esse. Repugnat etiam quod caro aut res alia cõvertatur in illam, aut totaliter, aut partialiter, quia sic generaretur, sicut generatur ignis, quando lignum in illum convertitur. Quare necesse est fateri naturam divinam, & humanam in Christo esse inconfusas, & impermixtas, modis prædictis.

Objicies 1. illud Joan. 1. Verbum caro factum est, ergo divinitas fuit in carnem mutata. *Non sequitur*, sicut neque ex eo quod Scriptura dicat, Christum factum esse peccatum, aut maledictum, consequens est eum in peccatum vel maledictum mutatum esse. Verbum igitur caro factum est, non conversione divinitatis in carnem, sed assumptione humanitatis in Deum, ut habet Athanasius in Symbolo.

Objicies 2. Illud Athanasii in Symb. sicut anima rationalis, & caro unus est homo, ita Deus & homo unus est Christus; atqui in uno homine est una natura, ergo & in Christo. *Respondeo*, similitudinem in eo valere, quod sicut corpus & anima, etsi sint natura inter se non parum distincta, constituunt unum hominem, ita divinitas & humanitas simul junctæ, constituunt unum Christum: non tamen opus est, ut quemadmodum ex corpore & anima; ita ex divinitate & humanitate una natura coalescat.

4
RESOLUTIO IV. *Unio Verbi cum humanitate facta est in persona, & in supposito.*] EST DE FIDE quoad utramque partem, eo sensu, ut post unionem Verbi cum humanitate, una tantum reperiatur persona in Christo, unumque suppositum. Prior pars fuit definita in variis Conciliis contra Nestorium, aliosque hæreticos, qui ante & post illum docuerunt, in Christo esse duas personas distinctas, & unam tantum ex illis, esse verum Deum, aliam verum hominem. Sufficiat illud ex Symbolo Athanasii ab Ecclesia receptum. Qui licet Deus sit & homo, non duo tamen, sed unus est Christus. Unus omnino non confusione substantiæ, sed unitate personæ; quibus verbis damnatur tam error Eutychetis, qui unicam in Christo substantiam, seu naturam constituebat, quæ error Nestorii, qui cum duplici natura duas personas agnoscebat.

Accedit ratio: nam, cum Verbum dicitur caro factum, id non potest nisi altero ex his duobus modis intelligi, vel quia Verbum conversum est in carnem, vel quia hypostaticè est illi unitum; at prior modus rejectus est, ergo posterior amplectendus, unde concluditur intentum; nam si Verbum est unitum hypostaticè carni, sequitur eam esse destitutam proprio supposito, & ita unicam tantum in Christo esse personam: cum repugnet aliquam naturam simul terminari proprio supposito, & alieno, ex infra dicendis.

Dices 1. Paulus innuit in Christo duas esse personas, cum ait 2. Cor. 5. Deus erat in Christo, mundum reconcilians sibi: & Philipp. 2. In similitudinem hominum factus, & habitu inventus ut homo. *Respondeo,* longè aliam esse mætem Apostoli, nam per priora verba vult tantum, Deum Patrem esse in Christo, per circumjessionem; qua ratione una persona non est in alia, quæ non sit Deus. Per posteriora autem significat, Filium Dei esse similem in specie aliis hominibus, Verbumque in se immutatum,

manens,

manens, assumpsisse humanitatem; sicut homo vestes induit, sine ulla sui mutatione substantiali.

Dices 2. Natura divina & persona non distinguuntur realiter in Verbo, ergo si unio facta est in persona, etiam in natura. *Respondeo* hinc tantum sequi, naturam divinam esse unitam humanæ, & eo sensu unionem factam esse in natura, quod nos facile admittimus: non tamen sequitur, quod post unionem non sit nisi una natura, sicut non est nisi una persona.

Posterior pars facile probatur, quia persona & hypostasis, seu substantia non distinguuntur conceptu intrinseco, sed tantum connotato, quatenus persona connotat naturam rationalem: at verò hypostasis, seu substantia est terminus cuiusvis substantiæ individuæ, & completæ, sive ea sit intellectualis, sive non. Cum ergo unio facta sit in persona, sequitur eam etiam factam esse in hypostasi, seu supposito.

Dices, in Christo est aliud, & aliud, ergo in eo distincta sunt supposita, & consequenter unio non est facta in supposito. *Respondeo* negando priorem consequentiam, ut enim in Christo sit aliud, & aliud, sufficit distinctio naturarum cum unitate suppositi, ut patet ex eo quod è contrario Theologi communiter negant in Trinitate aliud, & aliud, propter unitatem naturæ, esto distincta sint supposita.

RESOLUTIO V. *Aliquo sensu* admitti potest, personam Christi post unionem esse compositam. **PROBATUR,** nam ex unione Verbi cum humanitate resultat aliquid unum per se, nampe homo, seu subsistens in natura humana, quod cum nequeat esse omnino simplex, sequitur esse aliqua ratione compositum: atque hic loquendi modus est frequens in Conciliis, & Patribus.

Dices 1. Si Christus est compositus, debet coalescere ex partibus, itemque ex actu, & potentia; at hoc repugnat, ergo, &c. *Respondeo* negando maiorem absolute spectatam, sufficit enim ad compositionem,

quòd fiat ex entitatibus distinctis, quales sunt Verbum, & humanitas; esto in compositione rerum naturalium prædictus defectus reperiatur.

Dices 2. Si Christus est compositus, sequitur eum esse sua componentia, quod tamen damnatum fuit in Concilio Constantiensi, contra Joannem Hus. *Respondeo* eum esse sua componentia collectivè, non autem divisivè, ut falsò putabat prædictus hæreticus.

Dices 3. Si post Incarnationem persona Christi est composita, ergo non est eadem persona quæ erat antea, siquidem antea non erat persona composita. *Respondeo* eam personam compositam quæ resultat ex unione, fuisse prius in ratione personæ; unde est eadem simpliciter, etsi non sit eadem secundum quid seu in ratione composita.

Ex dictis collige 1. terminum principalem, seu adæquatum Incarnationis, etsi sit substantialis, non esse tamen naturam aliquam substantialem ex divinitate, & humanitate constitutam; cum in Christo Domino post Incarnationem, illæ naturæ integræ, & inconfusæ permanserint: sed ipsummet Christum, quatenus est una persona subsistens in duabus naturis, divina scilicet, & humana.

Collige 2. Terminum formalem, qui, Incarnationis esse humanitatem, ut Verbo unitam; at verò terminum formalem, quo, esse ipsam unionem: siquidem Incarnatio est formaliter actio, qua Verbum fit homo, ergo formalis terminus illius est humanitas, ut Verbo unita, & quia non fit homo, nisi mediante unione, hinc ipsa unio dici potest terminus formalis, quo, seu minus principalis.

RESOLUTIO VI. *Per Incarnationem activè sumptam aliquid producitur in humanitate, per quod ipsa Verbo unitur, illud autem non est qualitas, aut influxus activus, vel mera relatio, sed modus quidam substantialis, qui unio appellatur.*] IN PRIMIS quòd aliquid producat patet, quia vix potest concipi, duas res distin-

ctas

etas de novo inter se uniri, & unum per se constituere, nisi saltē altera illarum in se mutetur, & aliquid de novo recipiat: idem enim manens idem aptum est tantum constituere idem: cum ergo Verbum mutari nequeat, ea mutatio in ipsa humanitate contingere debet.

Deinde quod receptum in humanitate non sit qualitas, patet, quia hæc est accidens quod non potest concurrere nisi ad faciendam unionem accidentalem, & consequenter ad constituendum unum per accidens; at certum est hanc unionem esse substantialem, & per eam constitui unum per se.

Rursus quod non sit influxus activus, probatur, quia hæcenus inauditum fuit apud Theologos, influxum aliquem physicum posse à Verbo procedere, qui non sit communis Patri, & Spiritui sancto; quia cum operetur ad extra per voluntatem, quæ una est in omnibus personis, sequitur non posse effectum aliquem ab eo prodire, qui Patri, & Spiritui sancto non conveniat. Unde illud est ab omnibus receptissimum, opera Trinitatis ad extra sunt indivisa.

Præterea quod non sit mera relatio constat, tum quia ad relationem non datur per se motus, sed ad aliquid absolutum, unde ipsa resultet; tum quia relatio uniti supponit res esse unitas, & ex ipsa unione extremorum resultat.

Tandem quod sit modus quidam unionis in humanitate receptus, ex dictis colligitur, nam cum illa debeat in se aliquid recipere de novo, quo uniatur Verbo, illudque non sit qualitas propriè dicta, aut mera relatio, aut actio, sequitur esse modum quendam in-existentiæ; cum nihil aliud concipi possit, cui id muneris tribuatur.

Dices 1. Humanitas immediatè unitur Verbo, juxta Patres, ergo non media aliqua re, aut modo. *Respondeo* humanitatem uniri Verbo immediatè quatenus non unitur illi medio aliquo termino, esto illi uniatur medio aliquo nexu, qui sit ratio uniendi.

Idem

Idem patet in anima rationali quæ immediate unitur corpori, etsi non nisi medio aliquo nexu.

Dices 2. Verbum supplet vices substantiæ creatæ, at hæc unitur sine ullo modo intermedio, ergo & Verbum. *Non sequitur*, nam ipsa substantia creatæ est intrinsecè modus naturæ, quare per se illam modificat: Verbum autem est res planè distincta ab humanitate; quare hæc indiget modo aliquo, per quem Verbo uniatur, eique inexistat.

RESOLUTIO VII. *Unio hypostatica est substantialis, potestque dici omnium maxima, tam in ratione unionis, quam in ratione doni.*] **PRIMA PARS** est certa, & communis contra Durandum, & Paludanum. Probari autem potest 1. ex Conciliis & Patribus, qui disertè prædictam unionem esse substantialem fatentur. *Secundo* ratione, nam per Incarnationem Verbum factum est homo, quod dici non posset, nisi substantialiter esset unitum humanitati: siquidem homo est ens substantiale, & per se, quod ex unione accidentali constare nequit.

Confirmatur, nam homo dicit naturam, & suppositum; quare non sufficit, quod corpus & anima in Christo uniantur substantialiter inter se, sed præterea requiritur, ut Verbum ipsum humanitati substantialiter unitum sit.

Dices 1. Ex duobus entibus perfectis non potest fieri, nisi unum per accidens, ac proinde non potest inter illa reperiri nisi unio accidentalis, ergo Verbum & humanitas non possunt uniri substantialiter. *Respondes* humanitatem esse incompletam, cum propria personalitate careat.

Dices 2. Quod unitur alicui, tanquam instrumentum illius, unitur illi accidentario: at humanitas unitur Verbo, tanquam instrumentum illius, ergo accidentario. *Respondes* majorem veram esse de eo, quod unitur alicui ut merum instrumentum illius; non autem de eo quod etiam ei unitur, ut eandem personam constituat, ut fit in proposito.

Dices 3.

Dices 3. Patres agentes de Incarnatione, eam explicant per varias similitudines rerum, quæ inter se non uniuntur nisi accidentario; nimirum ferri candentis, rami trunco distinctæ arboris infiti, contrahentium matrimonium, &c. *Respondeo* similitudines illas non afferri, tanquam perfectè exprimentes mysterium Incarnationis, sed ut quædam illius proprietates nobis innotescant. Nam per primam intelligimus, humanitatem à Verbo illustrari, & vim agendi ab eo accipere: per secundam, humanitatem posse Verbo uniri, etsi sit natura à Verbo omnino diversa: per tertiam, humanitati quodammodo communicari perfectiones Verbi, sicut vir sua stemmata, & nobilitatis titulos uxori communicat.

Nota, etsi substantiale & essentialè pro eodem passim usurpari soleant, unionem istam non esse vocandam essentialem, quia eo loquendi modo indicaretur, eam factam esse in essentia, seu natura, non in persona. Item licet non rarò naturale usurpetur pro vero & reali, dicendum non est, unionem prædictam esse naturalem, ne videatur negari esse supernaturalem. Cum tamen illa sit in humanitate, tanquam in subjecto, dicendum est, eam esse aliquid creatum, etsi essentialiter respiciat Verbum, quod est increatum.

Secunda pars probatur, quia ea major est unio, ex qua resultat compositum magis unum: at compositum resultans ex Verbo & humanitate unitis, est magis unum quàm alia quæcunque, cum nihil possit cogitari simplicius Verbo, quodque ex consequenti alteri extremo intimiùs conjungi possit.

Dices, ex unione animæ rationalis & corporis, fit unum compositum unitate essentia, & personæ, ergo unio illa major est unione Incarnationis, in qua fit unum duntaxat unitate personæ. *Respondeo* dictam unionem esse extensivè majorem unione hypostatica, hanc vero illa esse perfectiorem intensivè; eò quòd anima tam intimè conjungi nequit corpori, quàm Verbum humanitati. *Tertia*

Tertia pars facilè suadetur, quia datur humanitati persona ipsa Verbi, eique intimè unitur, ut eam sustentet in ratione suppositi, & cum illa unum per se constituat; quod multo majus est, quàm Deo uniri per gratiam, aut per visionem beatificam. *Confirmatur*, nam nulli creaturæ quantumvis perfectæ, etiam si gratia valde intensa prædita sit, aut visione Dei fruatur, debetur unio hypostatica: Contra verò eò ipsò quòd humanitas est unita Verbo, debetur illi gratia quodammodo infinita, & beatitudo essentialis, ergo signum est unionem hypostaticam esse donum longè aliis perfectius.

Dices, Eucharistia videtur majus donum. *Respondet* est majus extensivè, quia Christus se totum dat omnibus; unde Eucharistia dicitur extensio Incarnationis, at verò intensivè est minus, quia in Incarnatione Verbum unitur humanitati substantialiter, & hypostaticè, in Eucharistia verò conjungitur nobis secundum præsentiam localem duntaxat.

CAPUT XII.

De utroque extremo unionis hypostaticæ, ut ea de factò peracta est.

RESOLUTIO I. *Inter personas divinas solum Verbum est Incarnatum.*] EST DE FIDE, definita in variis Conciliis, & à sanctis Patribus, & Doctoribus Catholicis asserta, contra Sabellianos qui cum existimarent, tres personas Trinitatis non distingui inter se realiter, sed solo nomine, consequenter docebant omnes esse Incarnatas.

Potest autem ex eo sufficienter probari, quòd Scriptura sacra Incarnationis solius Verbi meminit. Cum enim hoc sit præcipui momenti, id non prætermisisset, nec neque alia necessaria ad credendum; quia verò id pendet à voluntate divina, demonstrari non potest. Variæ tamen congruentiæ afferri possunt, cur potius decuerit Verbum incarnari, quàm alias personas.

S. The-

S. Thomas 3. p. quæst. 3. art. 8. Tres adducit à concionatoribus observandas, 1. est, quia cum omnia per Verbum facta sint, æquum erat ut per illud restaurarentur. 2. quia cum regnum cœleste non detur, nisi filiis adoptivis, conveniens erat ut homines participarent hanc filiationem, per eum qui est filius Dei naturalis. 3. quia peccaverat homo, appetendo scientiam inordinatè, sicque recesserat à Deo, congruum fuit ut per Verbum veræ sapientiæ reduceretur ad Deum. 4. addi potest, quia non erat inconveniens, quod qui erat filius ab æterno, fieret filius in tempore: at non ita congruebat, quod Pater, aut Spiritus sanctus esset Filius. Et 5. decebat enim ut ipsemet Filius, qui est persona veluti media inter Patrem, & Spiritum sanctum, fieret mediator inter Deum, & homines.

Dices, opera Trinitatis ad extra sunt indivisa, seu conveniunt tribus personis. *Distinguo,* si per opus intelligas influxum activum, concedo id esse commune tribus personis, si verò rationem terminandi, nego; non enim spectat ad naturam, reddere rem incommunicabilem, sed hoc est munus suppositi ut sic: quare cum suppositum Verbi sit realiter ab aliis distinctum, non mirum est quòd aliquid ei conveniat in ratione termini, quod aliis non competit.

Quo loco advertet 1. licet Pater & Spiritus sanctus propriè non sint uniti naturæ humanæ, eos tamen in illa existere modo speciali, propter identitatem cum natura divina: quatenus si per impossibile, ratione immensitatis in ea non præexisterent, vi novæ unionis inciperent in illa existere per concomitantiam, cum à Verbo separari non possint.

Adverte 2. Patrem, & Spiritum sanctum esse per concomitantiam immediatè, in humanitate Christi connaturaliter existente, quia idem sunt quoad naturam cum Verbo, quod in illa est per se primo: esse verò per concomitantiam tantum mediatè, in eadem

ut

ut existente in Eucharistia, quia scilicet Verbum non est in ea per se primò, sed tantum immediatè per concomitantiam, ut suppono ex materia de Eucharistia.

RESOLUTIO II. *Verbum divinum terminavit naturam humanam, ratione alicujus relativi, non absoluti.*
EST COMMUNIS contra Durandum, sumiturque evidenter ex Conciliis quæ docent, Filium assumpti de humanitatem in singularitate personæ, & in eo quod proprium est Filii: itemque unionem non esse factam in eo quod commune est Trinitati.

*Probat*ur autem 1. quia si Verbum divinum terminaret naturam humanam, secundum aliquid absolutum, & commune tribus personis, sequeretur tres personas esse Incarnatas: cum enim illud commune non magis Verbo, quàm aliis personis conveniat, non magis Verbum ratione illius dici debet unitum humanitati, & Incarnatum, quàm reliquæ personæ.

Dices non sequi, quia non est facta unio ad personalitates Patris, aut Spiritus sancti, sed tantum ad personalitatem Filii. *Sed* contra, nam id sufficit ut tres personæ sint Incarnatæ, in quantum Deus; unde ulterius sequitur, Patrem simpliciter Incarnatum esse, sicut simpliciter dicitur, Patrem creare, etsi non creet, nisi ut Deus est.

*Probat*ur 2. Quia Verbum divinum per id facit, naturam humanam subsistere, per quod ipsum subsistit; atqui ipsum subsistit per quid relativum, non per absolutum, ergo &c. Hinc sequitur Verbum terminare naturam humanam per aliquid relativum, quia cætenus illam terminare dicitur quatenus facit eam subsistere, supplendo vices subsistentiæ creatæ.

*Probat*ur 3. Specialiter contra Durandum, nam ille putat humanitatem habere duplicem unionem, aliã qua unitur naturæ divinæ, aliam qua unitur Verbo; hoc autem inauditum est apud Patres, & Theologos, qui

DE CHRISTO CAP. XII. 213

qui unam tantum unionem in mysterio Incarnationis agnoscunt, ex parte Dei.

Neque refert quod, ex communi sententia, humanitas non tantum sit unita personalitati Verbi, sed etiam naturæ divinæ, hoc enim factum non est per duas uniones distinctas, quarum una præexigatur ad aliam, ut vult Durandus, sed per eandem unionem primariò ad personalitatem Verbi, secundariò verò ad naturam divinam, quæ ipsi perfectè identificatur, terminatam.

Dices, homo est ens absolutum, at si Christus constituitur hic homo, per aliquid relativum, non est ens absolutum, ergo non potest eo modo constitui. *Respondet*, etsi Christus præcisè ut est persona, sit quid relativum, tamen ut hic homo, est quid absolutum; quia sic constituitur humanitate, quæ est quid absolutum.

RESOLUTIO III. *Verbum assumpsit veram animam humanam & rationalem, verum etiam corpus ex carne & ossibus constans; itemque sanguinem, aliosque humores.*] PRIMA PARS est de fide contra Arianos, qui asseriebant in Christo Verbum fuisse loco animæ, & contra Apollinarem tribuentem Christo animam duntaxat sentientem. *Potest autem probari* i. ex Scriptura sacra, quæ varios tribuit Christo affectus, qui nequeunt illi competere, nisi ratione animæ humanæ, ut cum dixit Christus *Ioan. 10.* Nunc anima mea turbata est, & *Matth. 26.* Tristis est anima mea usque ad mortem.

Item ex plerisque Conciliis, & Patribus, qui adversus prædictos hæreticos eam constanter defendunt. Nobis sufficiat illud ex Symbolo Athanasii, ab universali Ecclesia receptum, & approbatum. Perfectus Deus, perfectus homo, ex anima rationali, & humana carne subsistens; ubi de Christo agitur.

Ratio id ipsum suadet, nam ex fide constat Verbum esse verum hominem, at non esset verus homo sine anima rationali. Deinde Verbum assumpsit naturam huma-

humanam, ut pro nobis oraret, mereretur, & satisfaceret: at hæc exigunt libertatem, & rationem.

Dices, nonne Verbum potest corpus vivificare? ergo frustra ponitur anima. *Respondeo*, Verbum non posse corpus vivificare, ut requiritur ad essentiam hominis, nempe sub ratione formæ intrinsecæ, quæ in eo sit principium operationum vitalium, sed tantum in genere causæ efficientis, quod non satis est.

Secunda pars est etiam de fide, fuitque olim definita in nonnullis Conciliis, contra varios hæreticos, qui de Christi corpore malè senserunt. Sumitur autem ex Scriptura *Joan. 1.* Et Verbum caro factum est. *Luc. 24.* Palpate, & videte, quia spiritus carnem, & ossa non habet.

Accedit ratio, nam non modo anima sed etiam corpus organicum constans carne & ossibus, spectat ad essentiam naturæ humanæ; quare cum Verbum divinum veram naturam humanam assumpserit, negari non potest, quin verum corpus humanum constans ex carne, & ossibus sibi copulaverit.

Dices ex Apostolo *1. Cor. 15.* Primum hominem de terra, fuisse terrenum, & secundum de cælo, cœlestem: at primus homo verè ex terra compactus erat; ergo & secundus ex materia cœlesti. *Respondeo*, ex sententia Patrum, Christum vocari hominem cœlestem, sive quia cœlestem vitam duxit, cum esset beatus & planè impeccabilis; sive quia corpus illius, per operationem cœlestem, fuit mirabiliter formatum in Virgine, Verboque unitum.

Tertia pars est communis contra Durandum, & quosdam alios probaturque, tum ex Clemente VI. in Extravagante. Unigenitus, de pœnitentiis & remissionibus, ubi declarat unam guttam sanguinis Christi, propter unionem ad Verbum suffecisse ad redimendos homines: tum quia Verbum assumpsit naturam perfectam & integram, atque ad eò constantem

tem partibus omnibus, quæ spectant ad integritatem illius, qualis sine dubio est sanguis; cum sine illo homo neque operari, neque vivere possit. Cæterum quia non est ratio, cur potius una pars sanguinis assumpta sit, quàm alia, dicendum est totum fuisse assumptum. Et quod de sanguine asserimus, affirmandum est de rore, & cambio, ob paritatem rationis. Quod ut intelligas.

Nota, sanguinem, ex communi sententia Medicorum, sub ea forma sanguinis qua est in venis, non mutari proximè & immediatè in carnem nervos ossa, aliasque corporis partes, sed in quandam substantiam puriorem & defœcatoriorem, qua initio transmutationis dicitur ros, in progressu verò cambium; & in fine, gluten, quod propriè jam est substantia viva ipsius animalis.

Dices, quod Verbum semel assumptum, nunquam dimisit; at dimisit varias partes sanguinis, quæ manserunt apud homines post resurrectionem. *Respondeo*, pronunciatum illud debere intelligi, de præcipuis humanitatis partibus, quæ Verbum nunquam dimisit ex integro, non de quibuslibet earum particulis: cum per continuam actionem caloris naturalis, aliæ & aliæ partes substantiales è corpore Christi effluerint.

Quarta pars ostenditur, quia alii humores pertinent ad integritatem corporis humani, unde ex communi sententia, in corporibus beatorum reperiuntur: & eadem ratio probat assumptos spiritus vitales & animales, maximè cum sint instrumenta valde necessaria ad sensationes, aliasque vitales operationes exercendas: itemque dentes, ungues, & capillos.

RESOLUTIO IV. *In assumptione humanitatis nulla intercessit temporis duratio, aliquis tamè ordo naturæ inter partes assumptas servatus fuit.*] PRIOR PARS probatur, nam in primis anima Christi non extitit prius

prius tempore, quàm unita sit corpori, ut fides docet contra Origenem; & ratio est, quia cum Christus sit verus homo, habet animam ejusdem rationis cum animabus aliorum hominum; quæ proinde postulat eundem productionis modum; atqui aliæ animæ cum sint essentialiter formæ, ex natura sua postulant creari, simulque infundi corporibus quæ ab ipsis informari debent; ergo idem dicendum de anima Christi.

Deinde non prius tempore extitit Christi anima, quàm unita sit Verbo, siquidem in eodem instanti quo illa extitit, fuit unita corpori, & consequenter extitit humanitas; hæc autem non prius tempore esse debuit, quàm Verbo uniretur, quia aliàs B. Virgo non esset mater Dei: quare Christi anima fuit unita Verbo, eodem instanti temporis quo creata fuit.

Rursus corpus Christi non prius extitit, quàm fuerit animæ unitum, fuit enim in instanti formatum ex purissimo Virginis sanguine, per virtutem Spiritus sancti, adeoque tunc anima informatum fuit, ad modum quo alia hominum corpora informantur, statim atque perfectè formata sunt, organisque distincta, quantum satis est ad receptionem animæ: unde cum in eo instanti extiterit humanitas, quæ nunquam fuit, vel cum propria subsistentia, vel sine subsistentia Verbi, consequenter corpus Christi non prius tempore extitit, quàm Verbo unitum fuerit. Ex his autem collige animam Christi non prius fuisse unitam corpori, quàm Verbo, aut vice versâ, item corpus illius non prius fuisse unitum animæ, quàm Verbo, vel è contrâ.

Posterior pars declaratur. Nam primò ordine intentionis, anima rationalis prius natura fuit à Verbo assumpta, quàm caro; sicut enim ordine intentionis, prius assumpta est humanitas, quàm anima, & caro: ita anima prius quàm corpus, eò quòd per se longè est nobilior corpore, nec videtur corpus assumptum

nisi

nisi ut per illud, & in illo Christus operationes animæ exercere posset. Secus dicendum de ordine executionis, nam assumptio animæ supponit illius creationem, & animæ creatio supponit corpus, cui infundatur, productum, & organis distinctum, propriamque ex se subsistentiam exigens; quare cum Verbum talem subsistentiam in corpore suppleverit, prius illud sibi univit, quàm animam.

Secundò licet ordine intentionis, natura humana prius assumpta sit, quàm partes illius, ordine tamen executionis, prius assumptæ sunt partes, quam humanitas. Siquidem quoad executionem, caro prius fuit Verbo unita, quàm anima, & anima prius Verbo, quàm carni; eò quòd anima rationalis petit subsistere independentè à corpore, & corpus independentè ab anima, Verbumque utriusque subsistentiam supplevit: ordine igitur executionis, prius partes illæ assumptæ sunt, quàm inter se unitæ, adeoque priusquàm existeret, aut assumpta esset humanitas. *Confirmatur*, nam si humanitas per se primò, quoad executionem assumpta est, & partes non nisi ratione illius, plane sequitur, ablata unione Verbi cum ipsa humanitate destrui etiam unionem illius cum corpore, & anima; cuius tamen oppositum in triduo mortis Christi contigit.

CAPUT XIII.

De nonnullis qua circa unionem hypostaticam, de possibili considerari possunt.

RESOLUTIO I. *Alia natura rationalis specie ab humana distincta, nempe Angelica, itemque irrationalis, verbi causa, Aquila aut Leonis, à Verbo hypostaticè assumi potuit.*] PRIOR PARS est communis contra Albertum Magnum, potestque probari tum ex Paulo, qui cum ad *Hebræos* 5. ait, Verbum non apprehendisse Angelos. sed semen Abrahamæ, satis indicat, unionem personalem Verbi cum natura Angelica, esse possibilem; tum quia si Verbum potuit impedire,

K

quo-

quo minùs suppositum resultaret in natura humana, eamque sibi copulare, quidni idem præstare potuit in natura Angelica?

Dices, natura Angelica non distinguitur ab ipsius supposito, quare si ea assumeretur, consequenter assumeretur illius suppositum, quod impossibile est. *Verum* distinctio modalis sufficit, ut suppositum possit à natura Angeli aut tolli, aut impediri, ut fit in anima rationali à Verbo assumpta.

Posterior etiam pars est communis contra Alessem, Bonaventuram, & paucos alios, probaturque hac ratione, quia non minus natura irrationalis potest ex se privari propria subsistentia, quàm rationalis; & aliunde Verbum non habet minorem vim ad unam sustentandam, quàm aliam. *Confirmatur*, quia Verbum sibi univit corpus humanum, illudque terminavit etiam in triduo mortis; ergo à pari, vel à fortiori potuit uniri hypostaticè alicui naturæ irrationali, præsertim viventi, cum hæc, ut sic, ratione præstantioris formæ, sit nobilior mortuo hominis corpore.

Dices 1. Natura irrationalis non potest videre Deum, ergo nec illi hypostaticè uniri. *Non sequitur*, quia videre Deum dicit actum vitalem intellectus, qui non competit nisi intellectu præditis: terminari verò dicit existentiam in alio, quod dici potest de re quæ intellectu caret, ut patet in Christi corpore mortuo.

Dices 2. Illud fieri non potest, quod maximè dedecet sapientiam Dei, quale est quòd persona divina uniatür naturæ irrationali, quia sic Deus esset brutum. *Respondeo*, etsi juxta sapientiam humanam indecens videatur, quòd Deus assumat naturam bruti, ipse tamen ad id posset moveri variis rationibus nobis ignotis, & ex infinito suæ sapientiæ thesauro depromptis; & quamvis in ea hypothese esset communicatio idiomatum inter Deum, & naturam assumptam, modestè tamen & verecundè, ut tantam majestatem

gesta-

DE CHRISTO CAP. XIII. 219

festatem decet, hac in re loquendum, & juxta consilium Cajetani, sententia quidem tenenda, sed lingua cohibenda.

RESOLUTIO II. *Verbum divinum potuit simul duas naturas assumere, & duas personas eandem.*]PRIOR. PARS probatur, quia de fide est Verbum divinum habere potentiam terminandi hypostaticè aliquam naturam creatam; cum sic terminet humanitatem quam assumpsit. Dicitur autem nequit quòd talis potentia sit exhausta ab humanitate, aut quòd sit finita, & ab aliqua natura creata exhauriri possit; quare nihil vetat, quin Verbum assumpta una humanitate, sibi aliam humanitatem unire possit; imò & aliam naturam specie distinctam, verbi causa, Angelicam.

Dices, repugnat ex parte naturarum, quia sequeretur eundem esse hominem, & Angelum. *Verum* hoc non magis repugnat, quam eundem esse hominem, & Deum; siquidem illa identitas est suppositi, non naturæ.

Hic duas occurrunt difficultates, magis ad modum loquendi, quam ad rem ipsam spectantes. *Altera* est, an Verbum, si assumeret duas humanitates, esset, duo homines. *Communis* responsio est negativa, quia nomen illud, homo, duo significat, nempe humanitatem, & substantiam; quare ut dicantur duo homines, non requiritur tantum ut sit duplex humanitas, sed etiam duplex suppositum: quia ergo in dicto casu non esset nisi unum suppositum, Verbum non diceretur duo homines, sed unus homo cum duplici humanitate.

Altera difficultas est, an si Verbum assumeret duas humanitates, quod illi conveniret per se secundum unam, illi cōveniret etiam per se secundū aliam *Resp.* negativè, nam in eo casu duæ illæ humanitates non nisi per accidens inter se conjungerentur, sicut musicus & philosophus per accidens conjunguntur in eodem homine; ergo sicut id quod per se

convenit homini, ut musicus est, convenit illi tantum per accidens, sub ea ratione qua est Philosophus; ita quod per se Verbo conveniret, ut subsistenti in una humanitate, non nisi per accidens illi conveniret, ut subsistenti in altera.

Posterior pars non videtur adeò certa, ut probabilior tamen communiter defenditur, quia personæ divinæ id omne possunt, quod non involvit contradictionem; at hoc non involvit, sive ex parte personarum, cum singulæ habeant potentiam infinitam in ratione terminandi, sive ex parte naturæ; ea enim est æqualiter in potentia obedientiali, respectu omnium personarum, ergo, &c.

Dices 1. Natura habens propriam subsistentiam, non potest recipere alienam, ex infra dicendis: ergo similiter duæ personæ divinæ non possunt eandem humanitatem assumere. *Respondeo* non sequi, & ratio discriminis est, quia natura habens propriam subsistentiam, per se existit: At per se non existeret, si alteri inexistet; quare nequit simul habere propriam subsistentiam, & alienam. Non repugnat autem quòd natura carens propria subsistentia, adeoque per se non existens, duobus inexistat, & ab iis sustentetur.

Dices 2. Anselmum *lib. 2.* cur Deus homo, *cap. 9.* affirmare, impossibile esse quòd plures personæ unum eundemque hominem assumant, ubi per hominem intelligit humanitatem, cum nequidem una personæ divina possit hominem assumere. *Respondeo* Anselmum tantum velle, non posse plures personas eandem humanitatem assumere, in unitatem personæ, quod certissimum est; quia etsi assumerent, illæ personæ manerent distinctæ inter se, neque in unam personam coalescerent.

RESOLUTIO III. *Abstractis per intellectum personalitatibus, natura divina non potest assumere humanitatem.* **PROBATUR,** quia si à natura, ut jam existit, præscindas proprietates relativas, nihil superest cui
minus

minus assumendi, & hypostaticè terminandi naturam humanam competere possit; siquidem natura divina sic præcisà à subsistentiis relativis, non habet aliquam subsistentiam communem, ut cap. 3. hujus libri ostendimus; quare fieri nequit quòd naturam humanam terminet hypostaticè, cum ejusmodi terminatio sit proprius, & formalis effectus solius subsistentiæ.

Dicit, natura divina præcisè personalitatibus, cum sit infinitè perfecta, continet eminenter perfectionem subsistentiæ creatæ: ergo fieri potest, ut natura humana per eam subsistat. *Verum* hoc non sequitur, quia agimus de subsistentia, per quam res formaliter subsistit; quod concipi non potest, sine formali subsistentia: sicut neque quòd paries sit formaliter albus, sine formali albedine. Cum ergo in natura divina, ut sic, non habeat locum formalis subsistentia, repugnat quòd natura humana per illam formaliter subsistat.

Quæret aliquis, an si esset in Deo subsistentia communis, posset natura humana per eam terminari hypostaticè, *Respondeo* 1. in data hypothese, posse naturam humanam eo sensu à divina terminari, ut per eam subsisteret; ratio est quia subsistentia illa absoluta esset infinita in ratione subsistentiæ, & per eam Deus ipse subsisteret. Quidni ergo per eandem posset natura humana subsistere? *Confirmatur*, nam subsistentia personalis seorsum spectata, potest sustentare humanitatem, ut fides docet, ergo idem posset subsistentia absoluta, si in Deo existeret.

Respondeo 2. humanitatem in dicto casu, non constituendam in ratione personæ; siquidem subsistentia illa communis non plus posset cum natura humana, quàm cum divina; atqui non constitueret personam cum natura divina, quia persona est suppositum rationale, & incommunicabile cuius alteri supposito, natura autem divina, etiam ut affecta communi subsistentia, communicaretur tribus suppositis,

seu personis distinctis: ergo eadem non posset cum natura humana personam constituere; hæc enim ut affecta tali subsistentia, esset communicabilis tribus personis.

Dices, ergo in ea hypothesis esset hic homo subsistens, qui tamen non esset persona, quod videtur repugnans. *Verum* id non magis repugnaret in homine, quam in Deo, qui in dicta hypothesis esset hic Deus subsistens per subsistentiam communem, nec tamen ut sic esset persona. Dico ut sic, nam cum subsistentia communis non distinguatur à relativis, hic Deus à parte rei esset tres personæ, quod similiter de hoc homine in dicto casu dicendum esset.

RESOLUTIO IV. *Non potest hypostatice assumi natura habens propriam hypostasim, eamque retinens.* PROBATUR 1. quia Patres antiqui disputantes contra Nestorium, in Christo duas personas admittentem, illum ea ratione urgebant, quod humana Christi natura verè subsisteret per subsistentiam Verbi; at hæc ratio nullius fuisset momenti, si natura illa potuisset, simul terminari propria personalitate, & Verbi subsistentia.

Probatum, 2. Quia duo contradictoria non possunt simul dici de eodem, at si Verbum assumeret, & terminaret naturam habentem propriam hypostasim, sequeretur naturam illam existere per se, & non existere per se, quæ duo sunt contradictoria: siquidem per se existere nihil est aliud, quam existere in se seorsim à quocunque alio supposito extraneo, at verò non existere per se, est esse conjunctum cum aliquo supposito extraneo, & existere dependenter ab illo: in eo autem aperta est repugnantia, quod res eadem in se existat separatim ab omni supposito extraneo, & quod simul conjuncta sit alicui supposito extraneo, eique inexistat.

Dices, natura diuina subsistens per subsistentiam Patris, ulterius terminari potest per subsistentiam Filii, & Spiritus sancti; Cur ergo eodem modo non poterit.

terit natura propriam habens subsistentiam, terminari aliena? *Respondeo* causam esse, quod tres subsistentiæ relativæ sint propriæ naturæ divinæ, eiquè connaturales; quare per illas non habet ut sit in se, simulque in alio, sed tantum ut in se existat: at naturam quæ haberet propriam subsistentiam, cum aliena, esset simul in se, & in alio.

RESOLUTIO V. *Materia, & forma substantialis corporea seorsim à personâ divina assumi possunt, itemque partes integrantes, non tamen accidens reale.*] **PRIMA PARS** probatur 1. quia ex communiore, & longè probabiliore sententia, materia habet propriam subsistentiam, quare ea privari potest, & ita assumi ad unionem hypostaticam; cum in hoc nulla appareat repugnantia, neque ratio efficax afferri possit, cur id quod est capax propriæ subsistentiæ, non sit divinitus capax alienæ.

Dices, materia cum sit pura potentia, non potest existere sine forma, ergo neque assumi se sola, & extra compositum. *Respondeo* antecedens falsum esse, agendo de potentia absoluta, ut supponimus ex meliori Philosophia; & quamvis totum concederetur, posset nihilominus materia, assumi per se, non assumendo formam, vel compositum.

Secunda pars ostenditur, nam vel forma materialis habet propriam subsistentiam, vel non habet; si habet, dubitari nequit quin divinitus ea privari possit; & consequenter à divina terminari; si verò ea caret, cum sit substantia, non repugnat quin possit divinitus accipere modum subsistendi extra compositum, ac proinde poterit persona divina, per propriam subsistentiam defectum ejusmodi subsistentiæ supplere.

Dices, si forma materialis habet propriam subsistentiam, ea est partialis & incompleta, qualis à Verbo suppleri nō potest. *Verum* si hoc ita esset, sequeretur Verbum nō fuisse unitū animæ Christi, in triduo mortis; quia cum in suo esse sit incompleta, non nisi subsistentiam incompletam habere potest. *Ter-*

Tertia pars suadetur, quia partes integrantes sunt substantiales, ergo sunt capaces propriae subsistentiae, adeoque & alienae. *Confirmatur*, nam ex supradictis, Verbum assumpsit sanguinem, ei que fuit unitum hypostaticè, etiam in triduo mortis, quo tempore sanguis ille extra venas effusus erat; non ergo repugnat quòd partes integrantes assumantur ad unitatem suppositi.

Quarta denique pars ea ratione suadetur, quia illud non est capax subsistentiae alienae, quòd propriam habere nequit; atqui accidens non est capax subsistentiae propriae, cum subsistentia sit modus substantialis, qui non nisi substantiae convenit ergo neque per subsistentiam alienam terminari potest. *Confirmatur*, quia minus difficile est, quòd res aliqua habeat propriam & connaturalem subsistentiam, quam quòd per divinam terminetur; at effici nequit quòd accidens habeat subsistentiam propriam, sicut neque quòd substantia inhaereat, ergo, &c.

Dices 1. Accidens separatum à subjecto habet modum positivum per se existendi, cum tunc per se existat ad modum substantiae; ergo poterit Deus talem modum auferre ab accidente, vel eum impedire, & per propriam subsistentiam illius absentiam supplere. *Respondet*, sive accidenti separato detur modus positivus per se existendi, sive non, de quo alibi agitur, accidens non posse hacere modum per se existendi substantialem, qualem hic inquirimus; ac proinde non posse talem modum suppleri per subsistentiam Verbi, quae est substantialis.

Dices 2. Cum dependentia accidentis à subjecto sit extrinseca, ea potest à Verbo suppleri, ablatis imperfectionibus; ergo etsi Verbum nequeat sustentare accidens per modum subjecti, potest illud sustentare per modum suppositi. *Non sequitur*, quia ipsum accidens talis sustentationis non est capax; quare satis est quòd Verbum in genere causae efficientis, dependentiam subjecti in eo supplere possit, ut fit in Eucharistia.

DE CHRISTO CAP. XIII. 227

RESOLUTIO VI. *Persona creata naturaliter non potest alienam naturam terminare, probabile tamen videtur eam id posse supernaturaliter.* PRIOR PARS probatur, tum quia suppositum creatum non potest terminare alienam naturam, quin hæc destituatur proprio supposito, hoc autem naturaliter fieri non potest; tum quia mysterium Incarnationis ab omnibus suspicitur ut stupendum, & maximè supernaturale, quod non ita esset, si non modo persona divina, sed etiam creata posset alienam naturam assumere. Tum denique quia si quæ persona creata posset alienam naturam terminare, maximè Angelica; at hoc non, quia ut aliàs diximus, Angeli non possunt naturæ viribus res naturales immutare, nisi quoad motum localem.

Dices, Tertullianus, & Origines existimant Angelos interdum assumpsisse corpora. *Respondeo*, vel eos non loqui de unione hypostatica, vel decipi, si putant de facto eam esse peractam, aut naturaliter posse fieri.

Posterior pars suadetur; Nam Deus id omne potest, quod non implicat contradictionem; at quòd natura creata supernaturaliter terminetur à supposito creato, id non implicat contradictionem, siue ex parte naturæ, siue ex parte suppositi, ut patebit ex solutione objectionum ergo id Deo denegandum non est. *Confirmatur*, nam potest Deus naturam, verbi causa, Petri privare propria subsistentia, eamque intimè conjungere supposito Gabrielis, quidni ergo poterit efficere ut ab illo terminetur? Id sanè non videtur operosius, quàm quòd Deus corpus Petri intimè conjungat Paulo, simulque efficiat ut ab illius anima informetur.

Dices 1. Si Angelus potest terminare duas naturas, poterit decem, & centum, imò & infinitas. *Respondeo* posse, supposito quod sufficienter sit illis præsens; sicut poterit anima informare infinita corpora, si ipsi commensurentur quoad locum.

Dices 2. Omnis modus intrinsecus rei creatæ unam tantum rem potest afficere, eam nimirum cum qua identificatur; ergo suppositum creatum, cum sit modus, non potest nisi propriam naturam afficere: *Respondeo* etsi non possit alienam naturam intrinsecè afficere, & modificare, poterit tamen eam terminare extrinsecè, & hypostaticè. Et sane cum Verbum divinum non afficiat intrinsecè naturam humanam, neque cum ea identificetur, & tamen illam verè, & hypostaticè terminet; hinc manifestum relinquitur, ex eo quòd suppositum creatum non potest intrinsecè modificare alienam naturam, & cum ea identificari, non sequi quod nequeat illam terminare hypostaticè.

Dices 3. Si hæc vera essent, posset hypostasis Petri, eo mortuo, conservari in natura Pauli superstitè, quod admitti nequit. *Non sequitur*, quia Petrus non destitueretur proprio supposito, etsi per illud naturam Pauli terminaret.

C. A. P. U. T. X. I. V.

De causis Incarnationis.

RESOLUTIO I. *Ex vi præsentis decreti. Verbum non assumpsisset carnem, si homo nõ peccasset.* PROBATUR, nam ablato unico motivo alicujus decreti, tollitur decretum: Atqui unicum motiyum instituendæ Incarnationis fuit redemptio hominum à peccato, ergo si homo non peccasset, adeoque redemptione non eguisset, Verbum non fuisset incarnatum, ex vi præsentis decreti. Minor probatur i. ex Scriptura quæ variis locis inculcat, Christum venisse in mundum ut à peccatis nos liberaret, ut cum dicitur *Rom. 4.* Traditus est propter delicta nostra, & resurrexit propter justificationem nostram: & 2. ad Titum, Dedit semetipsum pro nobis, ut nos redimeret ab omni iniquitate. Aliunde verò Scriptura non assignat aliud motivum à præcedenti distinctum, propter quod Christus venerit; quare, nisi gra-

DE CHRISTO CAP. XIV. 217

gratis divinare velis, dicendum est Christum venisse propter solam redemptionem hominum, ac proinde eum aliàs non venturum. *Neque* dicas Christum non tantum esse nostrum Redemptorem, sed etiam Doctorem, Legislatorem, Pontificem, &c. hæc enim & similia ad finem redemptionis pertinent,

Secundo eadem minor probatur ex Patribus, qui non modo docent Christum venisse propter redemptionem hominum, sed etiam perspicuè tradunt eum aliàs non venturum. Ita Irenæus *lib. 5. cap. 14.* dicens, Si non haberet caro salvari, nequaquam Verbum Dei caro factum esset. Ita Ambrosius *lib. de mysterio Incarnationis cap. 6.* his verbis, Nam quæ erat causa Incarnationis, nisi ut caro quæ peccaverat, per se redimeretur? ac si diceret, nulla. Ita Augustinus *serm. 8.* de verbis Apostoli, dicens, Si homo non perisset, Filius hominis non venisset. Ita alii plerique, quorum verba à recentioribus passim afferuntur.

Respondent aliqui, Patres intelligendos esse de adventu Christi in carne passibili, atque adeò de Incarnatione quoad modum, non quoad substantiam illius; sed hoc gratis dicitur, nam Patres apertè docent, solam redemptionem hominum esse causam, cur Verbum caro factum sit, cur humanitatem suscepit, cur ad nos venerit; &c. quæ & similia non nisi de ipsa substantia Incarnationis intelligi possunt. *Confirmatur*, nam immeritò, & mendaciter diceretur, Christum non venturum Adamo non peccante, si verè tunc venturus erat, etsi non esset venturus hoc modo, nempe ut passibilis.

Dices 1. Christus primum locum habuit in mente Dei, ut colligitur ex verbis illis *Proverb. 8.* Dominus possedit me in initio viarum suarum: & ex illis *Coloss. 1.* qui est imago Dei invisibilis, primogenitus omnis creaturæ. Prius ergo decreta fuit Incarnatio, quàm prævisum peccatum Adæ, & independenter

Ab illo. Verum hæc testimonia non urgent, quia ut demus primum de Sapientia Incarnata, seu de Christo intelligi, ex eo tantum colligendum erit, Christum à Deo constitutum principium viarum suarum, ad opera sua restauranda, & reficienda, ut ex *lectione* 70. Patrumque interpretatione non obscure sumitur; ac proinde Incarnationem ad redemptionem hominum, in qua præsertim restauratio illa consistit; tanquam ad finem ordinatam esse. Ut etiam demus secundum testimonium intelligi de Christo ut homine, responderi poterit Christum dici primogenitum omnis creaturæ, non quod prius sit præordinatus, quàm quævis alia creatura, sed quia est dignior, & excellentior omnibus creaturis, propter perfectionem unionis hypostaticæ.

Dices 2. Ad maiorem Christi dignitatem spectat, quòd sit primus prædestinatorum, aliqui omnes, sive Angeli, sive homines ex illius meritis prævisis sint prædestinati: hoc autem stare nequit nisi prius decreta sit Incarnatio, quàm prævisum peccatum Adæ, & independentè ab illo: cum Angeli, itemque primi parentes ante peccati prævisionem prædestinati fuerint. *Responderi* potest non esse tribuendam Christo perfectionem aliquam, quæ cum Scriptura sacra, & Patribus non satis cohæreat, ac proinde eum dici primum prædestinatorum latiori modo, sive quoad gloriam & dignitatem quomodo superat omnes homines, & Angelos; sive quia aliquo modo in eos omnes influit, estque caput illorum, ut ex infra dicendis constabit.

Accedit quòd Christus aliter, & magis propriè dici potest primus omnium prædestinatorum, si agatur tantum de hominibus prædestinatis; siquidem omnes posteri Adæ fuerunt electi ad gloriam ex ipsius meritis, licet autem primi parentes fuerint electi ad gloriam, ante prævisionem peccati, & consequenter ante decretum Incarnationis, tamen ex meritis Christi gratia fuit ipsis restituta, ita ut
nullam

nullam in cælo habeant partem gratiæ, aut gloriæ, quam per Christum non acceperint.

Dices 3. Si Incarnatio non est peracta nisi occasione peccati, sequitur eam non esse nisi bonum occasionatum, quod de tanto mysterio dici non potest. *Verum* neganda est consequentia, quia ut Incarnatio rectè diceretur bonum duntaxat occasionatum, opus esset ut ea non esset volibilis nisi occasione peccati; at hoc falsum est, cum potuerit Deus instituire Incarnationem, etiam nullo præsupposito peccato.

Dices 4. Adamo fuit revelata Incarnatio, & consequenter causa illius; at non fuit ei revelatum ipsius peccatum, quia magnum inde mœrorem concepisset, statui Innocentiæ contrarium: ergo Incarnatio non fuit primario instituta, ad liberandos homines à peccato sed ob aliam causam Adæ revelatam. *Respondeo* nullum esse inconveniens, quòd Deus Adæ revelaverit Incarnationem, & non particularem illius causam; quemadmodum Joseph revelata fuit futura illius exaltatio, & non venditio, cujus occasione ad eum honorem effectus est.

Dices 5. Ordinatè volens, prius vult media finì propinquiora, quàm remotiora: atqui Incarnatio est medium propinquius ultimo finì, qui est gloria divina, quàm hominum redemptio. *Respondeo* majorè veram esse de mediis, quæ sunt finì propinquiora, quoad vim movendi, non autem de iis, quæ tantum sunt propinquiora, quoad entitatem, seu majorem perfectionem; qualis est Incarnatio.

RESOLUTIO II. *Etsi Christus omnia peccata sufficienter deleverit, dici tamen potest eum potius venisse ad delendum peccatum originale, quàm actuale.*] PRIMA PARS est certa, probaturque 1. ex Paulo Rom. 4. ubi ait, Christum traditum propter delicta nostra, & resurrexisset propter justificationem nostram, at justificatio est emundatio ab omnibus peccatis. Unde ad Tit. 2. idem Apostolus ait, Christum seipsum dedisse

pro nobis, ut nos redimeret ab iniquitate. 2. Quia homines salvantur per Christum, at non salvarentur, si obnoxii essent peccato originali, vel actuali; ergo Christus sufficienter utrumque delevit.

Secunda pars ostenditur, posita duplici hypothese, altera est, Christum venturum ad tollendum peccatum originale, etsi non fuissent actualia; ratio est, quia per peccatum originale tota natura humana corrupta est, & à beatitudine exclusa, quare vel propter solum illud peccatum venisset Christus, ne integra species humana corrueret, & in æternum damnaretur.

Altera hypothesis est, Christum minimè venturum si sola fuissent peccata actualia sine originali. Patres enim id non obscure indicant, quando dicunt, si Adam non peccasset, Christum non venturum, cum peccatum originale ex peccato Adæ processerit. Indicat etiam illud quod canit Ecclesia in benedictione cerei Paschalis, O certè necessarium Adæ peccatum quod Christi morte deletum est: hoc enim non rectè diceretur, si Christus, Adamo non peccante, mortuus esset.

Ratio idem ostendit, nam deficiente peccato originali, tota natura humana non deficeret à beatitudine, sed ea maneret integra, aut in omnibus individuis, ut aliqui putant, aut certè in multò majori parte, ut dicunt alii, quare non objiceretur Deo motivum illud, quod de facto habuit ad instituendam Incarnationem.

Dices 1. Si Christus venit magis præcipuè ad liberandos homines à peccato originali, quàm ab actualibus, sequitur eum potius venisse ad nos salvandos, quàm ad salvandos primos parentes; quia in iis non erat peccatum originale, sed tantum actualiale. *Respondet* id non sequi, nam cum dicimus Christum præsertim venisse, ut nos liberaret à peccato originali, non agimus de peccato originali, ut est præcisè in nobis, sed quatenus conjunctum est cum peccato actuali primo-

primorum parentum, tanquam cum sua radice; quare non sequitur quod Christus etiam pro illis non venerit, æquè principaliter ac pro nobis.

Dices 2. Multa afferri posse ad ostendendum Christum venturum; vel ob unius hominis peccatum, ut est illud Pauli ad Galat. 2. Qui dilexit me, & tradidit semetipsum pro me, Quo refertur id quod narrat Dion. epist. ad Domophilum, Christum apparuisse Carpo viro sanctissimo, ei que dixisse, se paratum iterum mori pro hominibus dummodo amplius non peccarent. *Verum* ista non concludunt, non *primum*, quia Paulus vult tantum ostendere, Christum de facto pro ipsius salute mortuum esse, quod certissimū est. Non etiam 2. quia Christus iis verbis declarare tantum voluit promptitudinem animi, qua ex se paratus erat iterum mori pro hominibus, si Deus id vellet. At ex his, aut similibus non sequitur quod Christus venturus esset, vel propter peccatum unius hominis.

RESOLUTIO III. *Nulla creatura concurrat ad unionem hypostaticam, tanquam causa physica illius sive principalis, sive instrumentalis: sicut neque ulla præcessit ad eam dispositio sive physica, sive moralis.*] HIC suppono Deum fuisse causam principalem efficientem dictæ unionis, ut fides docet, resque ipsa per se satis ostendit. *Item* hoc opus esse totius Trinitatis, quia est opus ad extra.

Hoc ergo supposito, prima pars facilè probatur tum quia Concilia, & Patres, nullam assignant causam, Incarnationis præter Deum, tum quia cum hoc mysterium sit prorsus supernaturale, immeritò quis diceret rem aliquam naturalis ordinis propria virtute, ut causam principalem ad illud concurrisset; dicere autem virtutem supernaturalem tali effectui proportionatam, alicui creaturæ concessam esse de facto, hoc est gratis divinare, cum nulla ejusmodi causa indicari possit.

Secunda pars ostenditur, quia si creatura aliqua de
facto

facto concurrat ad prædictam unionem, tanquam instrumentum physicum illius, ea est B. Virgo, nulla enim alia cum probabili fundamento assignari potest: at hoc dici nequit, cum ex Scriptura aut Patribus solum constet, eam esse matrem Christi, quod verificari potest, etsi non concurreret instrumentario ad unionem, sed tantum eo modo naturali, quo aliæ feminae concurrunt ad generationem proles. Quo etiam sensu Patres interdum ajunt, per Virginem carnem junctam esse Deo, quatenus nempe Virgo ad eam unionem concurrat influxu materno, & non per modum instrumenti.

Tertia pars suadetur, tum quia humanitas non minus per seipsam habet immediatè capacitatem, ad recipiendum modum unionis cum Verbo, quam si ei addatur aliqua dispositio physica, quæcunque sit; tum quia nulla dispositio physica assignari potest in humanitate, quæ habeat formalem repugnantiam cum subsistentia illius naturali, & multò minus quæ ex natura sua vim habeat eam uniendi alteri supposito, præsertim divino.

Quarta denique pars ostenditur, quia inter naturam, & suppositum connaturale nulla dispositio moralis intercedere solet, ergo neque inter humanitatem, & Verbum admittenda est. *Confirmatur*, nam si quæ moralis dispositio in humanitate præcessit, ea maxime fuit gratia habitualis, aliæque qualitates supernaturales: at hoc dici non potest, cum dona gratiæ collata fuerint humanitati Christi, intuitu ipsius unionis hypostaticæ.

Dicitur, non repugnat quod talis dispositio præcesserit, ergo de facto præcessit, cum valde congruum sit, humanitatem Christi decentiori modo fuisse præparatam ad unionem prædictam. *Aliqui* negant antecedens, quia natura debet prius perfici substantialiter, quàm accidentaliter. Verum nil vetat quin de potentia absoluta, possit Deus ejusmodi ordinem ~~mutare~~; quare ~~admissio antecedente~~, negatur consequen-

sequen-

sequentia, quia magis congruum est, & naturis rerū consentaneum, ut natura prius perficiatur substantialiter, quàm accidentaliter.

RESOLUTIO IV. *Nec humanitas Christi, nec ipse Christus meruit de facto Incarnationem.* PRIOR PARS PROBATUR, tum ex Augustino, lib. de predestinatione SS. cap. 15. aliisque locis ubi egregiè exemplo humanitatis Christi, gratis ad unionem hypostaticam electa, probat contra Semipelagianos, gratuitam hominum electionem ad gratiam: tum quia si Christi humanitas meruit Incarnationem, hoc factum est per opera antecedentia unionem vel tempore, vel natura; at primum dici nequit, quia eodem instanti temporis humanitas Christi fuit producta, & Verbo unita: nec secundum, quia Verbum prius naturā erat trinitum corpori, & animā, quam esset humanitas. Et quamvis ipsa humanitas esset prior unione ad Verbum, neque sic eam mereretur de facto, tum quia de lege communi, res non agunt donec completa sint substantialiter, etsi de potentia absoluta, pro eo statu agere possint, quā humanitas non mereretur nisi per gratiam, at nulla ipsi gratia concessa fuit, nisi post unionem, & ex vi illius.

Posterior pars ostenditur, quia principium meriti nō cadit sub meritum, saltem de lege ordinaria; atqui unio fuit in Christo principium totius meriti, ergo illam de facto non meruit. Neque refert illud Psal. 44. Dillexisti iustitiam, & odisti iniquitatem, propterea unxit te Deus: sensus enim est, quia dilexisti iustitiam, Deus tibi maiora gaudia in resurrectione, & gloria contulit, quàm tuis participibus.

Est autem dubium non leve, an Christus absolute potuerit mereri Incarnationem, per opera eam subsequentia. Non pauci hocce tempore negant, alij affirmant quod videtur probabilius; tum quia non est denegandum potentia Dei absoluta, nisi id in quo aperta est repugnantia, qualis hic non apparet; tum quia merita Christi ex se sunt valoris infiniti, atque

adco

adeo ex se sufficient ad promerendum quodcumque premium: aliunde vero nil vetat, quin potuerit Deus decernere Incarnationem, propter merita Christi futura, & in premium illorum, cum supposita scientia conditionata in eo signo in quo decreta est Incarnatio, merita Christi viderentur ut absolutè futura.

Dices 1. Principium meriti non cadit sub meritum, ex communi sententia, at Incarnatio est principium meriti in Christo, ergo Christus eam mereri non potest. *Confirmatur*, nam ideo homo non potest mereri gratiam habitualem, quia illa est in eo principium meriti. *Respondeo*, principium meriti de lege ordinaria non posse cadere sub meritum, posse autem de potentia absoluta; juxta quam non repugnat hominem mereri gratiam, per opera ex ea orta.

Dices 2. Repugnat quod duæ res sint sibi invicem causa, at si Christus mereretur Incarnationem, per opera illam subsequens, sequeretur Incarnationem esse causam illorum operum, & hæc esse causam Incarnationis. *Respondeo* majorem veram esse in eodem genere causæ, quod tunc non contingeret, nam Incarnatio influit in opera tribuendo iis valorem per modum causæ efficientis, & formalis; opera vero moverent Deum, ut eorum intuitu ipsam incarnationem perficeret.

RESOLUTIO V. *Antiqui Patres non meruerunt sive de condigno sive de congruo, incarnationem.* RATIO generalis est, quia de lege ordinaria principium meriti non cadit sub meritum, sive de condigno, sive de congruo, atqui Incarnatio erat principium totius meriti tam de condigno, quam de congruo, in antiquis Patribus; cum illi gratiam per quam merebantur non acceperint nisi ex meritis Christi prævialis; ergo non meruerunt Incarnationem, sive de condigno sive de congruo.

Speciatim vero quod eam non meruerint de condigno, *probat*, tum quia de lege ordinaria, purus homo

Homo non meretur de condigno aliis, sed tantum sibi, tum quia Patres antiqui bonis operibus merebatur de condigno augmentum gratiæ, & gloriæ, quod præmium erat commensuratum eorum meritis, quæ proinde ad unionem hypostaticam, aliudve præmium non extendebantur.

Imò, quia si purus homo posset de condigno mereri Incarnationem, sequeretur eum posse de condigno pro peccatis hominum satisfacere: quandoquidem mereretur ipsum Christum omnis gratiæ fontem, perfectumque redemptorem: hinc sequitur antiquos Patres, ne quidē de potētia absoluta; potuisse mereri de condigno Incarnationem, nimirum propter maximam improprietatem quæ reperitur inter actus meritorios, & unionem illam stupendam, qua fit ut homo sit Deus.

Dices 1. Potuit Deus proponere antiquis Patribus unionem hypostaticam, in præmium suorum operum, ergo illi potuerunt eam mereri, etiam de condigno. *Confirmatur*, nam homo potest mereri visionem ipsius Dei, ergo & unionem cum illo. *Respondet* fieri non posse, quod Deus puro homini proponat unionem hypostaticam, tanquam præmium per merita condigna obtinendum, deest enim proportio requisita inter meritum de condigno, & præmium. Neque idem est de visione beatifica, nam per illam homo non fit Deus, sed tantum videns Deum; per unionem verò hypostaticam homo fit Deus, quod est aliquid infinite majus.

Dices 2. Antiqui Patres suis precibus frequenter à Deo postulabant mysterium Incarnationis, eorum autem orationes non fuerunt inutiles, & effectu vacuæ, cum æquum sit & congruum ut Deus amicos suos exaudiat iusta petentes: ergo negari non potest, quin illi ipsam Incarnationem, saltem de cōgruo meruerint. *Respondet*, Patres non petebant ut fieret Incarnatio, certi enim erant ex fide eam futuram, sed eum nescirent; quo tempore futura esset, optabant

ut tunc

ut tunc fieret. Non igitur petebant substantiam ipsam Incarnationis, sed quandam illius circumstantiam, nempe temporis quo fieri debebat accelerationem; Unde dici nequit eorum preces fuisse inutiles, quia præterquam quòd per eas meruerunt de condigno augmentum gratiæ, & gloriæ, Deus insuper illarum intuitu, quandam Incarnationis circumstantiam ipsis concessit

RESOLUTIO VI. *B. Virgo non meruit de condigno esse Mater Dei, id tamen meruit de congruo.* PRIMÆ FARS PROBATUR 1. quia per opera ex gratia facta, Virgo meruit de condigno augmentum gratiæ, & gloriæ; Hoc autem erat præmium proportionatum illius operibus, quare per illa non meruit de condigno esse Mater Dei. *Confirmatur*, nam alii iusti nihil aliud de condigno merebantur, quàm augmentum gratiæ, & gloriæ; ergo neque Virgo aliud de facto promeruit, cum ejus merita essent ejusdem speciei cum meritis aliorum, adeoque idem specie præmium exigent.

Probat 2. Nam ut quis de condigno mereatur præmium aliquod, necessaria est promissio de conferendo tali præmio, sub conditione operis; talis autem promissio non extat in Scriptura, quod attinet ad rem, de qua agimus: licet enim Propheta interdum prædixerint, Christum nasciturum ex Virgine, ea est simplex & absoluta revelatio, non autem pactum dandi Virgini dignitatem matris, sub conditione hujus aut illius operis.

Dices 1. Ex oratione quadam quam canit Ecclesia, constat Deum spiritu sancto cooperante preparasse B. Virginem ut dignum Filii sui habitaculum effici mereretur. *Respondeo* sensum esse, B. Virginem optimè fuisse dispositam per varias gratias, & privilegia specialia ut esset digna Dei Mater, seu quantum eximiæ dignitati Matris Dei congruebat; esto talem dignitatem de condigno non promeruerit.

Dices 2. Beata Virgo meruit de condigno eam dispositionem.

positionem, qua facta est digna Dei Mater, ergo etiam meruit de condigno talem maternitatem. *Respondeo* negando antecedens, fuit enim disposita ad eam dignitatem, per varia auxilia, & privilegia specialia gratis ei concessa. Negari etiam posset consequentia, cum fieri possit ut quis sit legitime dispositus ad aliquam dignitatem, quam tamen gratis accipiat.

Secunda pars ostenditur, quia B. Virgo per varios eosque perfectissimos virtutum actus se disposuit ut Christum conciperet, nimirum maxima humilitate, amore ferventissimo, puritate interna & externa valde eximia, & obedientia verbis illis testata, Ecce ancilla Domini: ergo negandum non est, quin ex congruitate aliqua meruerit esse Mater Dei. *Confirmatur*, nam ex communi sententia sumpta ex *Genes. 22.* Abraham meruit de congruo, ut Christus ex illius stirpe oriretur. Quidni ergo dicemus B. Virginem de congruo meruisse, ut esset Mater Christi.

Dices, merita Virginis supponebant Incarnationem, & hac maternitatem, ergo non potuit Virgo mereri, ut esset mater Christi. *Respondeo*, Incarnationem dispendere precise unionem Verbi cum hac humanitate, non autem illius assumptionem ex tali foemina; atque adeo non supponere maternitatem. Quare intuitu Incarnationis potuit Deus dare merita Virgini, per quae se disposeret ad dignitatem Matris Christi.

Confirmatur hac responsio, nam si dicamus Virginis maternitatem includi in ipsa Christi praedestinatione; cum prius Christus sit praedestinatus quam praevisa sint illius merita, sequeretur aperte Virginem prius fuisse electam ut esset Mater Christi, quam praevisa fuerint Christi merita; atque adeo electionem illius ad dignitatem matris, non fuisse factam ex Christi meritis, quod certe affirmari non potest.

De gratia Christi.

RESOLUTIO I. *Humanitas Christi fuit formaliter sancta, præcisa gratia habituali, nempe per ipsam unionem hypostaticam.*] **RATIO** est, quia eò ipso quòd Verbum eam assumpsit, & natura divina fuit illi substantialiter unita, facta est impeccabilis, Deoque gratissima, opera illius fuerunt infiniti valoris, fuitque digna quolibet dono supernaturali, *Confirmatur*, nam si humanitas est sancta per gratiam habitualem, quæ est quædam accidentaria participatio divinitatis, quæque illi tantum accidentario conjuncta est; potiori jure dicendum est eam sanctificari per Verbum divinum, quod substantialiter est Deus, quòdque nexum cum illa substantialem habet.

Dices 1. Effectus formalis non potest esse sine causa formali, atqui esse sanctum est effectus formalis gratiæ habitualis. Unde *Trid. sess. 6.* ait, formalem causam justificationis esse inhaerentem iustitiæ; ergo effectus ille sine gratia habituali esse nequit.

Respondeo esse sanctum accidentaliter, seu per participationem quandam divinitatis, esse effectum formalem, & adæquatum gratiæ habitualis, & de tali effectu loqui Tridentinum. At verò esse sanctum substantialiter, est effectus unionis hypostaticæ, & gratiæ increatæ, quæ est ipsa divinitas humanitati Christi unita.

Dices 2. Non potest Christi humanitas esse formaliter intelligens, per intellectiōem Dei; ergo neque sancta per sanctitatem divinam. *Non sequitur*, quia ut quis denominetur sanctus, sufficit quòd in se habeat aliquid sanctum, aut divinum: ut autem denominetur intelligens, debet habere intellectiōem in se; & à se, seu ab intrinseco: at Christi humanitas habet quidem in se divinitatem, intellectiōem tamen divinam non habet à se.

Dices 3.

Dices 3. Vel ea sanctitas venit ab unione, vel à Verbo, vel à natura divina: non ab unione, quia sicut sanctitas non provenit in aliis iustis ex inhaerentia gratiæ, ita neque in Christo ex ipsa unione oriri potest; non à Verbo, quia suppositum Verbi, ut sit, non videtur posse tribuere sanctitatem naturæ humanæ, sed tantum eam terminare extrinsecè. Non denique à natura divina, quia hæc non unitur humanitati, nisi mediante Verbo. *Respondeo* hæc omnia suo modo concurrere, unio est conditio sine qua humanitas non haberet eam sanctitatem, at Verbum unitum est veluti causa formalis sanctitatis, non per se præcisè, sed ratione suæ naturæ, per quam ipsum etiam sanctum est.

RESOLUTIO II. *In Christo fuit gratia habitualis, eaque ejusdem speciei cum nostra, & finita in genere entis, quæ proinde etsi de lege ordinaria augeri non potuerit, absolute tamen potuit.* **PRIMA PARS PROBATUR,** quia etsi talis gratia non esset in Christo necessaria ad sanctitatem & meritum, congruum tamen erat ut anima Christi eâ ornaretur, tum quia eliciebat actus supernaturales virtutum, qui ex sua natura exigunt principia ejusdem ordinis, quales sunt habitus gratiam comitantes; tum quia gratia est semen gloriæ, quare cum Christus gloriam accepit, æquum fuit ut gratia esset præditus, idque in ipso instanti conceptionis, in quo fuit gloriosus, actusque supernaturales elicuit.

Dices 1. Christus esset Filius Dei adoptivus si haberet gratiam, at falsum prius, ergo & posterius. *Respondeo* majorem falsam esse, quia ut gratia constituat Filium Dei adoptivum, requiritur ut persona in qua recipitur, sit extranea; at Christi persona non erat extranea, siquidem erat ejusdem naturæ cum Deo Patre.

Dices 2. Gratia habitualis esset frustra in Christo, cum sine illa sit perfectè sanctus. At neque hoc sequitur, quia ad perfectum statum sanctitatis Christi, requi-

requiritur non tantum ut humanitas sit formaliter sancta, quod habere potest per unionem ad Verbum, sed etiam ut sit formaliter proportionata ad gloriam, & ad operationes supernaturales, quod fit per gratiam habitualement, & virtutes illi adjunctas, ut dictum est.

Secunda pars patet ex Scriptura, quæ Christum comparat capiti, & viti, nos autem membris, & palmitibus; quibus metaphoris intelligitur, quod sicut caput, & membra virtutem ejusdem rationis participant, itemque viti, & palmitibus; ita Christo & reliquis hominibus gratia ejusdem rationis, & speciei fuit collata. Hæc tamen gratia diversum essendi modum habuit in Christo, & in aliis hominibus, tum quia in eo, de lege ordinaria, intendi nequit, ex jam dicendis; tum maximè quia se habet per modum cujusdam proprietatis, ab unione hypostatica moraliter fluentis, & ratione illius connaturaliter debita.

Tertia pars ostenditur, quia ex probabiliore sententia, de qua lib. 1. cap. 5. non potest dari infinitum actu quoad intensiorem; quare gratia Christi est simpliciter finita in genere entis, quamvis dici solet infinita in ratione gratiæ, sive aliis de causis, sive quia respicit unionem infinitæ perfectionis, tanquam moralis proprietatis ab ea fluens, seu illi debita.

Quarta pars suadetur, tum quia Christus erat beatus, tum quia in instanti incarnationis fuit infinite Deo gratus, quare congruum fuit ut ex tunc illi daretur tota gratiæ plenitudo, quam Deus ei conferre decreverat; eò quod hæc dabatur ratione unionis hypostaticæ, quæ tunc peracta est. Quia tamen gratia prædicta ex se erat capax majoris intensiorem, potentia verò obedientialis animæ Christi nullum habebat terminum, nulla ratio est cur absolute augeri non potuerit.

RESOLUTIO III. *Ex virtutibus Theologicis charitas fuit in Christo, & probabiliter spes non tamen fides.*

PRIMA

PRIMA PARS PROBATUR, quia in Christo fuit gratia sanctificans, ut supra ostendimus; ergo & caritas, quæ aut idem est cum gratia, aut ab ea non separatur. *Confirmatur*, nam hæc virtus illius statui, aut perfectioni non repugnat, quin potius est valde illi consentanea ergo nulla est ratio cur ei denegetur.

Secunda pars non est adeo communis, probatur tamen, quia Christus amabat beatitudinem suam, tanquam bonum proprium, & ut sic de eâ gaudebat, sicut & alii beati, actus enim ille nullam involvit imperfectionem beatitudini repugnantem, at cum esset supernaturalis, procedere debebat ab aliquo habitu supernaturali, non à charitate, ut constat; quia Christus non tantum amabat beatitudinē suam propter Deum, quod erat caritatis opus, sed etiam ut bonū suum, adeoque ex motivo spei. Nec dicas ejusmodi actum processisse ab auxilio supernaturali, magis enim decet, quod ortum habuerit à principio magis sibi connaturali, qualis est habitus.

Dices 1. Per virtutem spei expectatur fruitio Dei, at Christus Deo fruebatur ab instanti conceptionis, ergo non habuit virtutem spei. *Distinguo*, non habuit virtutem spei quoad actum illum, concedo; quoad alios, nego; licet enim non expectaret beatitudinem animæ, quia ea fruebatur, eam tamen ut bonum proprium diligebat: & præterea expectabat beatitudinem corporis, qua carebat.

Dices 2. Ubi non est fides, neque spes, ex Augustino in *Enchiridio cap. 7.* In Christo autem non fuit fides, ut postea dicemus, ergo nec spes. *Respondeo*, ubi non est fides, sed clara Dei visio, ibi non esse spem, quoad actum primarium, quoad secundarios tamen esse posse.

Tertia pars est communis, eo quod fides est cognitio obscura, quæ ex lege saltem ordinaria, non potest consistere cum clara Dei visione, quæ Christo inerat ab instanti conceptionis: quare Christus nullum eligit actum fidei circa Deum, aut cir-

ca alia mysteria quæ in Deo clarè perspecta habuit.

Dices, illud Isa. 11. Erit fides cinctorium renum eius, communiter intelligi de Christo, ac proinde in eo fuisse fidem. Respondeo nomine fidei varia significari 1. Assensum obscurum, rebus à Deo revelatis præstitum: quomodo hîc à nobis sumitur. 2. Firmam quandam fiduciam, qua homines moventur ad petenda à Deo necessaria ad salutem; imò & interdum miracula. 3. Constantiam, & fidelitatem in promissis servandis; quo sensu dicimus, aliquem nobis fidem non servasse. 4. Specialem intelligentiam rerum, fidei, & facilitatem quandam eas proponendi, accommodatè ad captum vulgi. Caterùm fides non fuit in Christo primo modo, potuit tamen esse modis reliquis, si detrahantur imperfectiones, illius statui repugnantes.

RESOLUTIO IV. *Christus habuit virtutes morales per se infusas, si dantur, & ex suo genere acquisitas, quæ ipsi fuerunt infusa in instanti conceptionis.*] **PRIMA PARS PROBATUR,** quia sicut unioni hypostaticæ debetur perfecta gratia, ita gratiæ debentur virtutes supernaturales, quæ ab ea fluere dicuntur, tanquam morales quædam illius proprietates. Unde cum Christus in instanti conceptionis gratia perfectissima præditus fuerit, consequens est virtutes omnes supernaturales illius statui non repugnantes, ei tunc in gradu perfecto esse infusas. Dico illius statui non repugnantes, quia pœnitentia non fuit in Christo, ut est habitus quo quis dolet de peccato à se commisso, ut est Dei offensâ, & pro eo vult satisfacere.

Secunda pars est communis & certa, probaturque hac ratione, quia ejusmodi virtutes sunt eximie quædam perfectiones, quæ non repugnant majori perfectioni, quare debebantur Christo, tum consequenter ratione unionis, tum antecedenter, ut operationes virtutum connaturalius exerceret. Confirmatur, nam in voluntate Christi duas potentias concipimus, alteram in ordine ad actus ordinis supernaturalis, alteram

teram in ordine ad actus naturales; quare sicut prior respectu illi conceduntur virtutes & habitus supernaturales, ita posteriori illi tribui debent virtutes naturales & per se acquisibiles.

Nota 1. ex S. Thoma 3. p. quæst. 7. art. 2. ad 3. in Christo fuisse magnificentiam, & liberalitatem in summo gradu; quatenus divitias contempsit, propter amorem perfectionis: & etiam temperantiam, eò quòd pravis concupiscentiis omnino caruit: quod multò perfectius est, quàm eas frenare. Non tamen habuisse continentiam, quatenus hæc est temperantia quodammodo inchoata, quæ affectus immoderatos patitur.

Nota 2. Christum exercuisse actum iustitiæ vindicativæ, tum quando petiit ut adultera lapidaretur, juxta legis præscriptum; tum quando flagello de funiculis facto, eiecit vendentes, & eementes de tēplo. Hæc enim præstitit ex zelo iustitiæ, ad observantiam legis & honorem Dei illæsum servandum. Remisit autem injurias sibi, ut personæ privatæ. illatas; ut cū dixit, Pater ignosce illis: & ita nobis remittendæ sunt, quando id expedit ad honorem Dei, etiamsi alioqui vindicta iusta foret.

Tertia pars ex dictis colligitur, nam cū virtutes morales, de quibus agimus, Christo deberentur consequenter ratione unionis hypostaticæ, nulla ratio est cur dicamus illas ab eo successu temporis, propriis actibus acquisitas; quare in instanti cōceptionis simul cum aliis supernaturalibus ipsi infusæ fuerūt. *Confirmatur*, nam Christus in eo instanti habuit omnes animæ potentias optimè dispositas, in ordine ad finem tam naturalem, quàm supernaturalem.

Dices 1. Nobilius est habere aliquod bonum per se, quàm per aliud; ergo cū omnis perfectio Christo tribuenda sit, fatendum est virtutes prædictas ipsæ non fuisse infusas sed eum cōnaturali modo eas sibi comparasse. *Verum* hoc argumentum retorqueri potest quoad gratiam, & virtutes supernaturales.

Addendumque est Christum habuisse virtutes prædictas à se, quatenus ratione unionis hypostaticæ illas sibi deposcebat, tanquam proprietates quasdam connaturales, ut & alias perfectiones ipsius statui non repugnantes.

Dices 2. Christus haud dubiè exercuit varios actus naturales virtutum moralium, ergo per tales actus acquisivit virtutes morales ordinis naturalis, cum hæ frequentatione actuum acquirantur. *Negatur* consequentia, quia ad acquisitionem virtutum non sufficit frequentatio actuum, sed præterea requiritur ut virtus ipsa non sit in subjecto: à quo tales actus procedunt. Ostendendum ergo est aliunde, Christum caruisse habitibus virtutum moralium, ut per frequentationem actuum eos potuerit acquirere.

RESOLUTIO V. *In Christo nulla fuit de facto gratia excitans, vel adjuvans in eo tamen fuerunt dona Spiritus sancti, & gratia gratis data.*] **PRIMA PARS PROBATUR**, quia gratia excitans, seu præveniens consistit in sancta cogitatione, & pio voluntatis affectu quo homo divinitus excitatur, ad bona opera præstanda, & peccata cauenda. Christus autem non indigebat tali illustratione, aut excitatione, cum ratione luminis gloriæ, & amoris beatifici sufficienter illustratus esset, & excitatus ad peragenda quæcumque necessaria erant in ordine ad finem supernaturalem, essetque impeccabilis; quare in eo nullo modo necessaria erat gratia excitans.

Secunda pars ostenditur, quia Christus præditus erat habitibus supernaturalibus, ad rectas operationes necessariis, ergo non indigebat gratia auxiliante ad operandum supernaturaliter; sequela patet nam per gratiam adjuvantem homo elevatur, ut habeat in se principium sufficiens ad actus supernaturales elicendos; at qui habitibus supernaturalibus præditus est, habet in se principium sufficiens ad eiusmodi actus, ergo Christus non indigebat gratia adjuvante, ut supernaturales actus eliceret.

Dicitur

Dices, cum actus supernaturales excederent vires animæ Christi, ad eos necessarius erat concursus supernaturalis: ergo & gratia adjuvans. *Distinguo* antecedens, ad eos necessarius erat concursus supernaturalis, generalis concedo: specialis, distinctus ab influxu collato per habitum supernaturalem, nego.

Tertia pars videtur certa ex fide, propter verba illa *Isaia 11*. Requiescet super eum Spiritus Domini, spiritus sapientiæ & intellectus, &c. quæ à Patribus de Christo communiter intelliguntur. *Probatur* autem ea ratione, quia ex communi sententia, dona Spiritus sancti sunt quidam habitus supernaturales per se expetibiles, qui à gratia habituali, ut quædam illius passionès moraliter fluunt, quò fit ut omnibus iustis communicentur; quare cum Christus eximia gratia habituali præditus fuerit, negari non potest eum simul e iusmodi donis fuisse inagnium.

Dices, Non sunt Christo tribuenda ea saltem dona quæ repugnant statui beatitudinis, qualia sunt donum consilii, quod est ad consultandum de rebus dubiis, donum timoris, quod est ad fugiendum malum, & donum fortitudinis, quod in superandis tentationibus & adversitatibus occupatur. *Resp.* dona illa non repugnare statui beatitudinis, non consilium, quia ex se non præsupponit dubium, sed dicit tantum iudicium de rebus agendis; non timorem, quia hic sumitur pro magno reverentiæ affectu erga divinam maiestatem; nec denique fortitudinem, quia hoc dono ita quis afficitur, ut paratus sit adversa tolerare, si quæ occurrerint. Quare beatitudo non obstabat, quin Christus prædicta dona haberet, etiam fortitudinē, præsertim cum simul esset viator, & consequenter multa adversa ipsi ferenda essent.

Quarta denique pars ostenditur, quia ut dicemus *cap. 19*. Christus erat caput hominum, è quo charismata gratiarum fluebant, ergo cum hominibus datur gratia gratis data, potiori jure Christus eas de-

buit habere, quia de plenitudine ejus omnes accipiunt. *Joan. 1.*

Deinde probatur inductione, nam Christus multa patravit miracula, habuit discretionem spirituum, & gratiam sanitarum, futura prædixit, & absentia novit, habuit interpretationem sermonum aptissime proponens & explicans veritates fidei, juxta eorum captum quibuscum agebat, habuit etiam genera linguarum, si enim loquelam cordis novit, cur non potius linguarum?

Nec refert, quod forte variis linguis usus non fuerit, quia semper egit apud gentem unius linguarum, ut ait S. Doctor 3. p. q. 7. art. 7. ad 3. Quanquam verisimile est, Christum nonnunquam eo dono usum esse, ut in privatis colloquiis agendo cum extraneis. Imò si spectat ad donum linguarum, ut fidei Doctor, loquens in propria lingua, ab omnibus intelligatur; sic quoque præbabile est, non solum hoc donum fuisse in Christo, sed etiam illum non raro eo usum, cum prædicaret Judæis quibuscum Gentiles commixti erant. Unde tunc omnes intelligebant, quæ ab ipso dicebantur, non secus ac si propria cujusque lingua fuisset locutus. Eò vel maximè, quia simile quid narratur de Apostolis *Actor. 1.*

Dices, Christum, saltem non habuisse donum prophetiæ, tum quia erat Deus, at Deus non est Propheta; siquidem Propheta à Deo accipit lumen Propheticum; tum quia prophetia est obscura, quò fit ut beatus non competat, tum quia si Christus esset Propheta, esset minor Joanne Baptista, qui non erat Propheta, sed plusquam Propheta. *Verum* hæc nullius sunt momenti, non primum, quia etsi Christus non esset Propheta, in quantum Deus, erat tamen quatenus homo. Non secundum, quia ille dicitur Propheta, qui prædicit futura, aut alia valde remota à cognitione eorum quibuscum versatur, sive ea clarè cognoscat, sive non. Ideò autem beati non dicuntur Prophetae, quia in nullo statum nostrum
attin.

attingunt, seu quia non sunt viatores, ut notat S. Th. 3. p. q. 7. ar. 8. Non tertium, quia Joannes Baptista dicitur plusquam Propheta, non quod non esset Prophe- ta, sed quia aliis Prophetis excelluit, tum aliis de cau- sis, tum maximè, quia Christum, quem alii futurum prædixerant, præsentem vidit, & digito monstravit; simpliciter tamen fuit inferior Christo, qui potiori jure plusquam Propheta vocari potuit.

CAPUT XVI.

De Scientia Christi.

RÉSOLUTIO I. *Christus ut homo habuit scien- tiam aliquam, seu cognitionem creatam.*] RATIO est, quia quælibet res est propter suam opera- tionem, atqui propria operatio animæ intellectu præditæ, qualem habebat Christus, est actualis cog- nitio, seu intellectio, ergo Christus talem aliquam cognitionem habuit; aliàs frustra ipsi concessus fuisset intellectus humanus, quod dici non potest. *Con- firmatur*, tum quia nulli creaturæ intellectuali de- negatur cognitio proportionata suo intellectui, er- go neque Christo ut homini; tum quia Christus ut homo, eliciebat varios actus voluntatis liberos: ii autem supponebant actus proportionatos, ex parte intellectus.

Dices 1. Christus ut homo potuit intelligere per scientiam increatam, ergo hæc sufficit. Antecedens probatur, quia si divina essentia potest uniri intel- lectui creato, sub ratione speciei intelligibilis, seu impressæ, ut constat *ex lib. 1. cap. 8.* cur non etiam po- terit illi uniri, sub ratione speciei expressæ, seu actus intelligendi? *Respondeo* causam esse, quia actus intel- ligendi, procedit ab intrinseco vitæ principio, non autem species intelligibilis; quare essentia Dei cum nequeat procedere ab intellectu creato, non potest illi uniri sub ratione intellectiois, aut speciei expressæ; esto illi uniri possit sub ratione speciei in- telligibilis.

Dices 2. Verbum divinum quia est formalis substantia, potest supplere defectum substantiæ creatæ, ergo etiam cum sit formalis intellectio, potest agere vices intellectiois creatæ. *Non sequitur*, quia non est de ratione substantiæ, ut procedat ab intrinseco vitæ principio, sed tantum ut sit terminus naturæ, eamque ultimatè compleat.

Quo loco adverte 1. In intellectu Christi fuisse habitus & actus naturalis ordinis; actus quidem, quia intellectio actualis est quædam magna perfectio intellectus, ad quam ipse tendit, quamque exigit ex natura sua; quare dici nequit quod Christus tali perfectione caruerit. Habitus etiam, quia si in aliis hominibus reperiuntur habitus scientiæ naturalis, in Christo denegandi non sunt præsertim quia scientia naturalis erat in Christo permanenter, eaque utebatur quando volebat.

Adverte 2. Fuisse etiam in intellectu Christi actus & habitus ordinis supernaturalis, actus quidem, tum quia Christus habebat claram cognitionem mysteriorum fidei, quæ non poterat non esse supernaturalis, tum quia cum esset beatus, fruebatur visione Dei, quæ est actus supernaturalis. Habitus etiam, quia intellectus Christi ad actus supernaturales elevari debebat per principium aliquod ejusdem ordinis, idque habitualiter permanens, ut Christus ageret quando vellet, & operatio fieret modo magis connaturali.

RÉSOLUTIO II. *Christus habuit in hac vita scientiam beatificam, per quam non videbat in Deo omnia possible, videbat tamen per illam, quæcunque Deus novit scientia visionis, seu omnia futura.*] **PRIMA PARS PROBATUR.** ex verbis illis Joan. 27. Pater quos dedisti mihi, volo ut ubi sum ego, & illi sint mecum, ut videant claritatem meam quam dedisti mihi. Congruentiæ variæ afferri possunt; præcipua videtur, quod cum Christus esset Deus, & homo, adeoque inter utramque illius naturam esset perfecta unio,

con-

congruum erat ut humanitas clarè cognosceret ob-
jectum illud infinitum, cui substantialiter unita erat.
Tanta etiam est perfectio unionis hypostaticæ, ut
merito illam consequi videatur, tanquã proprietas
ipsi moraliter debita, scientia beatifica, & perfectio-
nes similes quæ communiter Christo tribuuntur.

Dices, oppositum colligi ex verbis illis *Luce 22.*
Nonne oportuit Christum pati, & ita intrare in glo-
riam suam? & ex illis *Ioan. 7.* Nondum erat spiritus da-
tus, quia nondum erat Christus glorificatus. *Sed fru-*
strà; hæc enim communiter intelliguntur de gloria
integra & perfecta, quæ præter gloriam animæ in-
cludit gloriam corporis, quam Christus non habuit,
nisi post resurrectionem suam.

Secunda pars ostenditur, quia si Christus ut homo,
videret in Deo omnia possibilia, sequeretur eum
comprehendere omnipotentiam Dei, atque adeo
Deum ipsum, quod repugnat, eò quod Deus cum sit
infinite cognoscibilis, comprehendi nequit per co-
gnitionem finitam, qualis est omnis animæ Christi
cognitio.

Dices ex Fulgentio, Christus habet plenam suæ
Deitatis notitiam, ergo illam comprehendit, & per
illam omnia possibilia. *Respondet* habere plenam Dei-
tatis notitiam, quatenus nihil est formaliter in Deo,
quod actu clarè non videat; non autem quod illum
videat omnibus modis quibus ex se videri potest,
quod est eum comprehendere.

Quæres an Christi anima haberet prædictam co-
gnitionem, saltem in habitu; aliqui affirmant, qui ta-
men addunt, eam non posse simul omnia videre in
actu secundo, sed tantum hæc, vel illa pro arbitratu
suo, vel prout Deus revelare voluerit. Hoc tamen nõ
placet, quia sequeretur visionem beatam posse va-
riari, & consequenter Christum mox magis, mox
minus beatum esse posse.

Dices id non sequi, quia non contingeret muta-
tio in visione ipsius Dei, qui est primum visionis
objectum,

objectum, sed in visione creaturarum, quæ pertinent ad objectum secundarium. *Contrà*, nam cum Deus visus sit ratio videndi creaturas, repugnat visionem creaturarum mutari, quin in visione ipsius Dei contingat aliqua variatio:

Tertia pars suadetur, quia ex communi sententia, beati vident in Deo quæcunque spectant ad eorum statum, atqui omnia futura spectant quodammodo ad statum Christi, ergo illa omnia videt. Probatum minor, nam inter futura præcipuè numerari solent cogitationes; quæ ab Angelis, & hominibus per totâ æternitatem elicientur; illæ autem quodammodo spectant ad statum Christi, cum ipse sit caput Angelorum, & hominum; iudexque vivorum, ac mortuorum constitutus sit.

Dices 1. Si Christus videt quæcunque Deus novit scientia visionis, ille comprehendit ejusmodi scientiam, atque adeò Deum ipsum. *Respondeo* non sequitur, quia etsi anima Christi videat Deum non tamè illum comprehendit; tum quia etsi clarè videat omnes creaturas existentes, non tamen eadem claritate qua Deus eas intuetur.

Dices 2. Quæ Deus videt scientia visionis, sunt infinita, ergo non possunt omnia simul ab anima Christi videri, cum illius cognitio sit finita. *Non sequitur*, ut enim Christus videat infinita, non opus est quod illius cognitio sit infinita, sed tantum quod sit altior & perfectior quavis alia cognitione, quæ ad tot objecta pertingere non possit, ut patet in cognitione ipsius Dei, qui est objectum infinitum.

RESOLUTIO III. *Christus habuit scientiam per se infusam & supernaturalem, à beata distinctam.* RATIO est, quia cum res supernaturales clarè, & intuitivè cognosci possint extra Verbum, negandum non est quin eo modo à Christo cognoscerentur, cū hoc ad majorem illius perfectionem conducat; at non per scientiam beatam, quia per hanc non cognoscunt nisi in Verbo; nec per fidem, quia hæc Christo non

non

DE CHRISTO CAP. XVI. 251

non competebat, & per eam res non cognoscuntur nisi obscure; nec per scientiam naturalem sive acquisitam, sive per accidens infusam, quia hæc terminatur ad objecta naturalia: ergo per scientiam intrinsecè supernaturalem, & per se infusam.

Hinc autem constat 1. Christum per scientiam infusam, cognovisse res omnes supernaturales creatas, cum non sit potior ratio de una, quàm de alia. Neque dicas non posse videri claram visionem Dei, quin Deus ipse videatur, hoc enim falsum est, quia cum visio Dei respiciat Deum, ut aliquid extrinsecum, ea potest videri etsi Deus non videatur intuitivè. Et idè dic de unione hypostatica.

Constat 2. Per eandem scientiam Christum novisse Deum unum & trinum, quantum ad cognitionem quòd sit, quia cum per illam clarè cognosceret res supernaturales, quæ immediatè & intrinsecè dicunt ordinem ad Deum unum & trinum, consequenter per illam cognoscebat Deum unum & trinum esse. Nihilominus per ejusmodi scientiam non cognoscebat Deum quidditivè, cum talis Dei cognitio haberi non possit, nisi per lumen beatificum, quod est altioris ordinis.

Constat 3. Beneficio ejusdem scientiæ Christum novisse cordium cogitationes, nam cum eas cognosceret, ut satis patet ex toto Evangelio, neque tantum per scientiam divinam, quia cum sit constitutus iudex omnium hominum, quoad omnes eorum cogitationes & actus, ea cognoscere debebat etiam ut homo, quæ ut talis iudicaturus erat: At neque solum per scientiam beatam, quia sic non cognoscuntur nisi in Verbo, decebat autem cognosci in proprio genere: quare reliquum est ut per scientiam infusam earum cognitionem habuerit. Idem autem dicendū ob rationis paritatem, de futuris contingentibus ab hominum libertate pendentibus, quorum pleraque Christus prædixit, negationem Petri, Judæ prodicionem, &c.

Quaeres 1. Quodnam fuerit principium efficiens, quod cum intellectu Christi concurrebat ad cognitionem rerum, quae sub scientiam infusam cadunt. *Respondeo 1.* ad hoc admittendas esse species aliquas, cum haec sint necessariae ad cognitionem, quando saltem objectum non est praesens intellectui. 2. Eas species debere esse multiplices, cum vix credi possit eadem specie posse cognosci res omnes, quae sub scientiam infusam cadunt. 3. Eas species esse supernaturales quibus res supernaturales cognoscebantur, cum illae sint principium effectivum actus intrinsecè supernaturalis. 4. Praeter species praedictas dari in Christo habitum scientiae infusae, quo scilicet fiat intrinsecè potens ad intelligenda earum objecta: illa enim duo requiri satis patet ex aliis scientiis. 5. Ejusmodi habitum distingui à lumine gloriae, cum Christus ut viator ab actu scientiae infusae cessare posset.

Quaeres 2. Quid dicendum sit de usu scientiae infusae. *Respondeo 1.* Non fuisse necesse quod Christus in usu illius se converteret ad phantasmata, quia utebatur speciebus infusis, quae ut non erant à rebus sensibilibus acceptae, ita independenter ab iis, earumve phantasmatibus agebant. 2. Scientiam illam non fuisse actu discursivam, quia Christus videbat entia supernaturalia unico intuitu, neque ex unius notitia necessario ferebatur in notitiam alterius. 3. Imò nec propriè potuisse Christum discursu uti, in usu praedictae scientiae, quia cum ex communi sententia, omnia supernaturalia intuitivè, & in se immediatè cognosceret, non poterat per unius notitiam, ad cognitionem alterius tanquam ignoti pervenire.

RESOLUTIO IV. *Christus praeditus fuit scientia perfectissima rerum omnium naturalium, quae sub humanam cognitionem cadere possunt.* **RATIO EST,** quia cum ejusmodi scientia magna sit humani intellectus perfectio, nulli majori repugnans, & natura humana ad eam comparandam naturaliter inclinatur, nullae

nulla ratio est cur Christo hominum perfectissimo denegeretur.

Dubium est autem, an Christus propriis actibus ejusmodi rerum naturalium scientiam sibi comparaverit, more aliorum hominum, an vero ea ipsi fuerit per accidens infusa quoad habitus, & species ad ipsam necessarias. *Respondeo*, hoc posterius probabitur videri, tum quia Christus habuit virtutes morales ordinis naturalis per accidens infusas, ut precedenti capite ostendimus: ergo idem dicendum de scientia rerum naturalium, cum non minus perficiendus esset illius intellectus in ordine naturali, quam voluntas; tum quia ex communi sententia, scientia rerum naturalium fuit Adæ infusa, ergo & Christo; sequela patet, quia hæc est magna perfectio, qua non minus decebat Christum præditum esse, quam Adamum; præsertim cum Christus esset caput hominum, longè nobiliori modo quàm primus parens: tum denique quia aliàs cum Christus non diu vixerit, neque in multis locis fuerit, neque à viris doctis didicerit, aut multas experientias fecerit, fatendum erit eum in naturali philosophia non multum fuisse versatum, & plerosque homines quoad hoc, ipsi fuisse superiores, quod sanè à summa illius dignitate, & perfectione videretur alienum.

Neque dicas, Christum ex iis rebus quas expertus est, in omnium devenisse notitiam: hoc enim gratis fingitur, quia innumera sunt avium, piscium, herbarum, lapillorum, aliarumque ejusmodi rerum species, quarum Christus nullam unquam habuit notitiam, per sensus externos. Dicere autem eum visa una ave, perfectè cognovisse proprietates aliarum omnium avium, & ita de aliis; hoc certè est intellectum illius humanum, qui ejusdem erat speciei cum nostris, sine fundamento nimium extollere. Maximè cum videamus homines acutissimi ingenii, inspecta, & attrectata re aliqua, non posse certò deprehendere illius effectus, etiam longo tempore, sed ad hoc

requiri, ut eos per sensum aliquem experiantur. Nemo enim unquam iudicasset, magnetem verbi causa, habere vim attrahendi ferrum, nisi propriis oculis expertus esset, ferrum in certa distantia, & quãtitate ab illo trahi. Multò minùs igitur poterit intellectus humanus, visa re aliqua, naturaliter cognoscere res alias innumeras, ab ea specie distinctas: quare ad perfectã earum notitiam longissima opus est experientia, quã in Christo locum non habuit: nisi fortè quis dicat, eum toto illo tempore quo latuit, terras, & maria peragrassè, ut perfectus evaderet Philosophus, quod non minùs absurdum est, quàm quod dicunt aliqui, Angelos ad Christum detulisse species, aut illi applicasse objecta sensibilia omnis generis, ut rerum omnium naturas haberet perspectas.

Dices 1. Luca 2. Jesus proficiebat sapientia, & aetate. Respondeo, proficiebat quoad usum, quia quò grandior fiebat, eò perfectiora opera edebat. Item quia successu temporis cognitionem quandam rerum experimentalem, propriis actibus sibi comparabat.

Dices 2. Christus saepe interrogabat Scribas, & alios, ergo ut ab eis aliquid disceret Non sequitur, sed potius ut ex eorum responsione sumeret occasionem eos docendi, quã ignorabant.

Dices 3. Si Christus scientiam naturalem non acquisivit propriis actibus, ergo intellectus agens in eo fuit superfluous. Non sequitur, tum quia intellectus agens idem erat ac possibilis, tum quia Christus scientiam rerum experimentalem acquisivit, adeoque ipso intellectu agente usus est.

CAPUT XVII.

De voluntate & merito Christi.

RESOLUTIO I. *In Christo ponenda est duplex voluntas, divina scilicet & humana.] EST DE FIDE, ut patet ex 6. & 7. Synodo generali, contra Monothelitas,*

melitas, qui unam tantum admittebant, propter unitatem suppositi. *Probat*ur autem, quia Christus est verus Deus, & verus homo, ergo habet voluntatem divinam, & humanam; imò generatim quæcunque ad veritatem utriusque naturæ pertinent. Nec refert unitas suppositi, voluntas enim est proprietas consequens naturam, non suppositum, aliàs in Deo essent tres voluntates.

Speciatim verò quòd Christus habuerit humanam voluntatem constat quia ut homo fuit obediens Patri, meruit, satisfecit, &c. Duo autem circa illam quæribi possunt: primo an omnis voluntas humana in Christo fuerit conformis divinæ. *Respondeo* voluntatem efficacem fuisse illi conformem, quoad rem volitam, & quoad honestatem, seu modum illius, saltem in genere: inefficacem verò interdum discrepasse quoad prædicta, absolutè tamen fuisse illi consentaneam, quatenus Deus efficaciter volebat ut Christus tales motus in se excitaret, ad ostendendam veritatem naturæ humanæ, & pœnarum quas passus est acerbitatem.

Secundò quæri potest, an in Christo fuerit liberum arbitrium. *Respondeo* fuisse, tam quoad potentiam, quia intellectu & voluntate erat præditus, quàm quoad actum, oblatu enim est quia ipse voluit, operationes meritorias, & satisfactorias exercuit, &c.

Dices, Christus peccare non poterat, ergo non poterat omittere præceptum sibi impositum, ergo non erat liber in observatione præcepti, adeoque liberè non est mortuus, & quod inde fit, per mortem suam nihil meruit. *Respondeo*. 1. quamvis hoc rotum daretur, Christus esset liber in rebus non præceptis. 2. etsi Christus absolutè non posset omittere præceptum, poterat tamen illud omittere, non ponendo eum actû per quem illud implevit; ac proinde ejusmodi actus positio, eique annexa præcepti observatio Christo fuit libera. Atq; hæc responsio manifestè est

est ad mentem *S. Thomae 3. p. quaest. 18. art. 4. ad 3.* ubi ea ratione defendit libertatem Christi, quia etsi voluntas illius sit determinata ad bonum in communi, non tamen est determinata ad hoc, vel ad illud bonum.

Instabis 1. Suppositio antecedens tollit libertatem ex dictis *lib. 1. cap. 18.* at praeceptum est suppositio antecedens respectu Christi, ergo, &c. *Respondeo* majorem esse tantum veram de suppositione antecedente, qua necessitas imponitur eliciendi talem actum determinatum. At quamvis Christus haberet necessitatem moriendi vagè, non tamen ponendi illum actum determinatum per quem mortem accepit, poterat enim illum omittere, etiam in sensu composito cum impeccabilitate, & praecepto. Quare liberè mortuus est, quemadmodum Martyres liberè moriantur pro Christo, etsi ex naturali conditione, necessitas aliquando moriendi ipsi incumbat.

Instabis 2. Hinc sequi Christum non observasse liberè quoad substantiam praeceptum moriendi, sed tantum quoad modum, & circumstantias. *Verum* id non rectè colligitur, quia Christus liberè posuit eum actum, quo moriendi praeceptum observavit quoad substantiam; poterat enim illum non elicere, & alium in illius locum substituere.

RESOLUTIO II. *Christus propriè meruit, idque per varios actus, & ab instanti conceptionis, ac deinceps per totam vitam.* PRIMA PARS est de fide, potestque probari ex Scriptura quae docet, Christum nos redemisse sanguine suo, lavisse à peccatis, &c. *Ratio* petitur à fine Incarnationis, quia Christus venit ut nos redimeret, nobisque gratiam & remissionem peccatorum mereretur. Accedit quod actus illius erant honesti, liberi, à persona grata procedentes, nec deerat promissio Dei, ut colligitur ex illo loco *17. 53.* Si posuerit pro peccato animam suam, videbit semen longævum.

Secundum

Secunda pars probatur, nam Christus meruit per actum amoris proximi, eò quòd liberè eum exercebat, item per actus virtutum moralium, quia erant liberi, honesti, &c. & quamvis nonnulli essent præcepti, id non obstabat libertati ex ante dictis. Major difficultas est de amore Dei, aliqui enim negant Christum per talem actum meruisse, eò quòd non ponunt in illo nisi amorem Dei beatificum, eumque summè necessarium: alii communiter affirmant, sed non ex eodem fundamento, sunt enim qui ponunt in Christo unum duntaxat actum amoris Dei, scilicet beatificum, quem ajunt non fuisse simpliciter necessarium, sed quodammodo liberum sive quoad exercitium, sive quoad terminationem ad bona Dei extrinseca. Alii verò facilius rem explicant, nempe affirmando fuisse in Christo duplicem actum amoris erga Deum, quorum alter sequebatur scientiam beatificam, eratque necessarius; alter infusam, qui erat liber & meritorius.

Tertia pars ostenditur, quia in ipso instanti conceptionis, Christus præditus fuit scientia infusa, usque perfectò rationis, atque virtutibus tam supernaturalibus, quàm moralibus: quare mereri sine dubio potuit. Neque ratio ulla est, cur aliquem actum meritorium non elicuerit, cum dici nequeat eum fuisse otiosum, quoad prædicta.

Quarta denique pars suadetur, quia quòd Christus per totam vitam meruerit, hoc sanè majoris est perfectionis, si fieri potest; at Christus continuo mereri poterat, quia neque per somnum, neque alio modo impediabatur ab exercitio scientiæ infusæ: unde nihil obstare poterat, quin aliquam virtutem continuo exerceret, etiam dum graviter torquebatur in cruce.

Non meruit autem formaliter per ipsam mortem ut est separatio animæ à corpore, quia tunc non erat homo, nec viator. Quare cum dicitur nos per mortem redemisse, intellige per tormenta mortem causantia.

santia. At multò minùs meruit per apertionem lateris, resurrectionem, &c.

Neque refert quod dicitur communiter, Sacramenta ex Christi latere fluxisse; hoc enim intellige, non de ipsis Sacramentis, sed de aqua, & sanguine quæ erant sacra signa, illa baptismi, hic Eucharistiæ, vel Martyrii.

RESOLUTIO III. *Christus sibi, & nobis aliquid promeruit.*] PRIMA PARS probatur, nam Christus meruit gloriam sui corporis, juxta illud *Luc. 24.* Nonne oportuit Christum pati, & ita intrare in gloriam suam? Item exaltationem sui nominis, de qua est illud *Philip. 2.* Humiliavit semetipsum, &c. propter quod & Deus exaltavit illum, & donavit illi nomen, quod est super omne nomen: sub gloria autem corporis comprehendi solet impassibilitas animæ, resurrectio, ascensio, & ultimus adventus cum potestate, & majestate, quæ omnia Christus meruit; quia etsi illi deberentur ratione unionis, tamen opus redemptionis nostræ postulabat, ut his Christus nostræ causa privaretur, nimirum ut pro nobis pati posset; supposita autem eorum carentia, nulla ratio est cur per opera sua infinitè digna, illa promeritus non fuerit. Porro ad exaltationem nominis præter alia reducitur, quicquid ad laudem Christi, sive ab hominibus, sive ab Angelis, sive ab ipso Deo collatum fuit.

Non tamen Christus sibi meruit gloriam animæ, gratiam sanctificantem, aut habitus supernaturales; quia hæc omnia illi concessa sunt, tanquam proprietates moraliter unioni debitæ, adeoque sine merito. Neque etiam meruit augmentum prædictorum donorum, quia cum sint concessa ut proprietates unioni debitæ, debuerunt conferri in gradu perfectissimo.

Dices, perfectius est aliquid habere cum merito, quam sine merito, ergo Christus dona illa obtinuit per meritum. Respondeo antecedens ut summum

VERUM

DE CHRISTO CAP. XVIII. 259

verum esse de puro homine, qui simul non est Filius Dei; at falsum est de Christo, in quo perfectius erat habere gratiam, & gloriam ex dignitate Filii Dei, & tanquam proprietatem moraliter debitam, quàm ex propriis actibus.

Secunda pars ostenditur, nam in primis Christus nobis meruit omnes dispositiones ad gratiam, cum ex Scriptura, Conciliis, & Patribus, constet nos nihil posse facere ut oportet ad salutem, sine ipso, seu sine illius merito. 2. nobis meruit gratiam sanctificantem, & remissionem peccatorum, ut patet ex fine Incarnationis; non quidem in alio tantum, merendo dispositiones prædictas, sed in se, ita ut acceptis illis dispositionibus, speciale beneficium consequamur, tum in collatione gratiæ habitualis, tum in remissione peccatorum; quia posset Deus absolute dispositiones immittere, sine gratia sanctificante, & hanc conferre, non remittendo peccata. 3. nobis meruit gratiæ augmentum, itemque satisfactionem & meritum nostrum, quatenus meruit, tum auxilia ad hæc necessaria, tum ut opera iusti haberent vim merendi, & satisfaciendi. 4. meruit quod homines ab æterno sint prædestinati, & electi ad gloriam, sive vagè offerendo merita sua, ut multi eligerentur ad arbitrium Patris, sive ut alii volunt, determinatè merendo ut talis, & talis homo eligeretur. An autem Christus meruerit Angelis, primisque parentibus gratiam & gloriam, resolvendum est juxta id quod quisque sentit de quæst. illa cap. 14. An Adamo non peccante, futura esset Incarnatio.

CAPUT XVIII.

De potentia, & subiectione Christi.

RESOLUTIO I. *Anima Christi non habuit omnipotentiam simpliciter, virtus tamè patræ; vera miracula, aliq̃ opera supernaturalia fuit illi concessa, nõ quidem physice, sed moraliter duntaxat.* PRIMA PARS perspicua est, quia res simpliciter omnipotens habet potentiam

tiam essentialiter infinitam, cum se extendat ad alia & alia in infinitum, quibus esse dare potest, quæque continere debet eminenter: at creatura, qualis est anima Christi, non habet virtutem essentialiter infinitam, cum in seipsa sit essentialiter finita, neque omnia virtualiter continere possit, ergo repugnat quod sit simpliciter omnipotens.

Secunda pars est de fide; ut colligitur ex Evangelio, quod testatur 1. Christum mortuos suscitasse, caecos illuminasse, aliaque quamplurima miracula effecisse. 2. gratiam & remissionem peccatorum nonnullis contulisse. Neque dicas cum Judæis, aut Paganis prædicta miracula non fuisse vera, sed fictitia, hoc enim falsitatis arguitur, tum quia cæci experiebantur se videre, mortui se comedere, ambulare, aliaque vitæ munia præstare; tum quia miracula illa diu durabant, & in omni loco, & tempore, omnibusque etiam hostibus, ut veri & reales effectus apparebant.

Quo loco adverte 1. prædictam potentiam fuisse in Christo permanentem in modum habitus, ut patet à priori, quia ea fuit illi concessa tanquam proprietas aliqua ei debita, propter unionem hypostaticam, quæ fuit in illo permanentem: & à posteriori ex eo deducitur, quia Christus operabatur miracula quando volebat. Nec refert quod ipse humanitas esset causa tantum instrumentalis, habebat enim ex pacto paratum concursum Dei, ad producendum quicquid vellet.

Adverte 2. Virtutem illam, qua Christus miracula patrabat, non fuisse naturalem; non enim temperamentum, vel imaginatio illius habebat vim restituendi visum cæco, aut vitam mortuo. Et idem dicendum de constellationibus, aliisque agentibus naturalibus, Eo vel maxime, quia Christus interdum sola voce, interdum tactu, aliquando sputo, aliàs luto miracula patrabat: sanabat etiam ægros longe distantes, & in unico instanti ea omnia ut plurimum operabatur.

rabatur. Hæc autem efficaciam agentium naturalium, & modum quo in effectus suos prodire solent, longè superant, cum non nisi per media proportionata, & in tempore, & circa objectum præsens operari possint. Unde collige Christum non fecisse miracula arte magica, & virtute dæmonum, ut Iudæi calumniabantur; cum ex communi Theologorum sententia dæmones nihil possint circa hæc inferiora, nisi applicando activa passivis, adeoque eos tantum effectus producere possint, qui non superant virtutem causarum naturalium, quas ad agendum applicant.

Tertia pars ostenditur, nam ex omnium sententia, Christus ut homo erat causa moralis miraculorum, quatenus infallibiliter à Deo obtinebat, ut efficeret omnia miracula quæ ipse fieri volebat. Ergo non opus est ut simul Christo virtutem quandam physicam miraculorum operativam tribuamus; hæc enim est superflua, quia tam certo fiebant miracula, sine illa quàm cum illa.

Deinde ideò humanitati Christi tribuitur causalitas physica respectu miraculorum, quia Scriptura, & Patres variis loquendi modis talem causalitatem innuere videntur; at profectò hoc nimis leve fundamentum est ut propterea ejusmodi causalitatem admittamus, cum vix explicari, aut intelligi possit, in quo ea consistat; & aliunde eadem aut prorsus similia dicantur de passione & resurrectione Christi, aliisque rebus, quæ tamen nullo modo intelligi possunt de causalitate physica sed tantum de morali, ut omnes facillè admittunt, & per se notum videntur.

Dices 1. Christus est caput Ecclesiæ, ergo influit in membra modo perfectissimo, adeoque physice. *Respondet* Christum esse caput morale Ecclesiæ, non physicum ac proinde sufficere quod influat tantum moraliter.

Dices 2. Hic modus agendi spectat ad majorem perfectionem Christi, ergo illi tribuendus. *Resp. 1.* antecedens

antecedens esse incertum, quia non minus videtur commendari perfectio Christi, ex eo quod ad nuntium habeat paratum concursus Dei ad patranda miracula, quam si physice ad ea concurrat. 2. eo dato, negandam esse consequentiam, quia non licet Christo affingere perfectionem aliquam, nisi quæ sufficienter aliunde probetur, quod hic non fit.

Dices 3. Verba illa *Luca 6.* Virtus de illo exibat, & sanabat omnes, & illa *cap. 8.* Ego sensi virtutem exire à me, aperte indicant causalitatem physicam, quare ergo de ea non intelligentur? *Respondeo*, quia redderent sensum absurdum, cum nulla virtus physica in Christi humanitate assignari possit, quæ realiter ab ea fluxerit ad patranda miracula, ut alias monui, ubi de causalitate Sacramentorum.

RESOLUTIO II. *Christus ut homo fuit subditus Patri, legi que naturali, non autem positiva. Item quibusdam defectibus corporis, non omnibus.*] **PRIMA PARS** probatur, nam cum humanitas Christi esset creatura, dubitari non potest quin Christus ut homo, esset subditus Patri, sive per subditum intelligas eum, qui est inferior quoad bonitatem & perfectionem; sive eum qui tenetur alterius præcepto obtemperare, sive servum propriè dictum, qui est sub alterius potestate, & omnino.

Unde collige Christum ut hominem, seu secundum humanitatem, posse dici servum Dei, quia etsi illius humanitas post assumptionem communicet in bonis, & honoribus Domini, & eatenus quendam statum libertatis adeptus sit: id tamen non obest quin sit creatura, multo magis à Dei nutu & dispositione dependens, quam in humanis servus pendeat à domino.

Dices. Fœlicem Urgelitanum, & Elipandum Episcopum Toletanum fuisse olim dånatos, quod dicerent Christum esse servum Dei. *Respondeo* id non debere intelligi de servitute illa naturali, quæ cuilibet

DE CHRISTO CAP. XVIII. 263

rei est essentialis, in ordine ad Deum; sed de alia, quæ indigeat regeneratione, per quam status filiationis adoptivæ obtineatur, quæque voluntariam obedientiam excludat, vilemque serviendi necessitatem invehat. Talem enim servitutem Christo tribuebant prædicti authores, qui consequenter existimabant, Christum non esse filium Dei naturalem, sed adoptivum duntaxat, & Deum nuncupativum, ut ex Alcuino & Paulino Aquilejensi colligi potest. Quare objectio aliata, quam nonnulli recentiores magni faciunt, non est ad propositam.

Secunda pars ostenditur, quia Christus tenebatur amare Deum, eumque colere, & proximum diligere, non mentiri, non furari, &c. quoad hoc enim est par ratio de illo, ac de aliis hominibus, qui ipsa natura duce, prædicta observare tenentur. Excepi autem legem positivam, tum divinam, sive veterem, quia erat pro filiis Israel, & ab iis via ordinaria descendens, sive novam, quia eam ipse instituit; tum humanam, quia cum Christus habuerit perfectum dominium supra omnes homines, ut dicitur cap sequenti, non magis ab illis poterat quam Rex à suis subditis obligari.

* *Dices, Christus non venit legem solvere, sed adimplere, ergo erat illi subditus. Non sequitur, quia non ex obligatione eam servavit, sed sponte. Neque refert illud Pauli ad Galat. 3. Testificor omni homini circumcidenti se, quia debitor est universæ legi faciendæ, debet enim tantum intelligi, de puris, hominibus.*

* *Nota tamen Christum ex communi sententia habuisse speciale præceptum moriendi pro hominibus, ut ex Joann. 10. colligitur. Quod quidem præceptum non fuit naturale, quia cum vita Christi utpote etiam vita Dei, esset multò præstantior quovis bono hominum, non tenebatur Christus naturaliter eam pro illorum salute profunderi. Præceptum ergo illud emanavit a Patre æterno, ut declaravit Christus*
loco

loco citato adeoque fuit divinum, positivum. *Neque* dicas, imprudenter fuisse impositum; quia cum Deus habeat supremum dominium in res omnes, potuit Christo precipere ut pro hominibus mortem sustineret, praesertim cum illa in gloriam ipsius Dei ultimè referretur.

Tertia pars manifesta est ex Evangelio, Christus enim esurit, sitivit, fatigatus est, & passus varios dolores. Atque hoc fuit congruum fini Incarnationis, quia licet uno actu interno posset satisfacere, consentaneum fuit ut assumeret poenaltates tali fini non repugnantes, eo quod satisfactio praecipue exhibetur per opera poenalia. Item ut veritatem humanæ naturæ clariùs ostenderet hominibus, qui multis defectibus sunt obnoxii.

Quarta denique pars suadetur, non enim Christus fuit deformis, quia conceptus est virtute Spiritus sancti, ex purissimo Virginis sanguine, quare decebat ut aptè esset compositus, rectè proportionatus, & optimi temperamenti, ex quibus oritur pulchritudo. *Neque* dicas assumpsisse naturam atque adeo deformitatem, non enim hæc sequitur naturam præcisè, sed causas particulares; unde non assumpsit morbos ex mala complexione, aut ex imprudentia in victu & actionibus procedentes. Neque potuit incurrere in morbum ex cœli intemperie, quia optimè sciebat corpus gubernare contra hæc, aliaque agentia extrinseca.

Dices, potuit naturaliter mori, ergo & agrotare. *Non* sequitur, quia mors contingere potest sine prævio morbo, nimirum calore naturali paulatim deficiente & humido radicali consumpto.

RESOLUTIO III. *Christus nec peccavit, nec peccare potuit, neque habuit fomitem peccati, vel ignorantia, variis tamen animi moribus, seu passionibus subditus fuit.*] PRIMA PARS patet ex Ioan. 8. Quis ex vobis arguet me de peccato? *Secunda* probatur, quia Christus ab initio conceptionis beatus erat, ergo nec
per

per absolutam potentiam peccare poterat in eo statu.

Sed quid, si Verbum humanitatem assumpsisset sine gloria, aliisque donis creatis, fuisset ne impeccabilis præcisè ex ipsa unione hypostatica? *Respondetur* affirmativè, quia si humanitas Verbo unita posset peccare, peccatum Verbo tribui posset quod repugnat: sequela patet, quia humanitas est natura Verbi, ergo ad ipsum spectat eam dirigere, ne à recto deflectat: quòd ni faciat cum possit, peccatum illi propriè imputabitur; alias non peccaret nostra voluntas, quando non refrænatur motus appetitus sensitivi. Neque est idem de aliis hominibus, quia respectu illorum se habet tantum ut causa prima & generalis gubernator, cujus est permittere ut quælibet res suis motibus feratur.

Dices, si mors de Deo dici potest, cur non peccatum, cum non minus illa, quam hoc ipsi repugnet? *Respon.* causam esse, quia quòd Deus permittat, partes quas assumpsit, dissolvi, in eo non intervenit ulla deordinatio contra rationem. At oppositum sequeretur, si permetteret, naturam humanam peccare. Unde potest dici, per communicationem idiomatum, Deus mortuus est, non tamen, Deus peccavit.

Tertia pars per se clara est, si loquamur de fomite actuali, seu de motibus appetitus sensitivi allicientis voluntatem contra rectam rationem, ut patet ex jam dictis. Idem etiam dicendum est de fomite in actu primo, de quo communiter hæc agitur; per fomitem enim intelligitur ipse appetitus, non præcisè secundum se; suamq; naturalem inclinationem spectatus, sed ut est proximè expeditus ad eliciendum aliquem actum, ex se rectæ rationi repugnantem; qua ratione fomes non fuit in hominibus in statu innocentie, nec est in beatis, ac proinde nulla ratio est cur fuerit in Christo, qui erat perfectissimè sanctus, & beatus, adeoq; optimè dispositus ne appetitus ipsius in actum aliquem, ex se inordinatum, proximè exire posset.

M

* Quarta

* *Quarta pars suadetur*, quia cum essent in Christo, omnes thesauri sapientiae, & scientiae absconditi, ex supradictis; manifestum est, nullam in illius intellectu fuisse ignorantiam, vel errorem sive speculativum, sive practicum.

* *An autem*, de potentia absoluta, error potuerit esse in Christo, in dubium vertitur. *Respondeo 1.* Ignorantiam purae negationis ei, ut homini, non repugnare; quia illius humanitas praecise ex unione ad Verbum, non haberet rerum cognitionem: quare si aliunde habitibus naturalibus, & supernaturalibus scientiae destitueretur, multa ignoraret.

* *Respondeo 2.* Non posse reperiri in Christo errorem practicum, inclinantem ad peccatum: quia cum voluntas sequatur iudicium intellectus, humanitas Christi posset peccare, & tale peccatum in Verbum ipsum refunderetur. Hoc autem impossibile est ex supradictis.

* *Respondeo 3.* Probabilius esse, Christum non potuisse falsum iudicium proferre, in re mere speculativa: quia iudicium proferre, sine sufficienti cognitione praevia, levitatem quandam & imprudentiam continet. Quare nullatenus Verbo divino tribui potest, aut naturae ipsi conjunctae.

Quinta pars ostenditur, nam in primis quod generatim anima Christi fuerit passibilis, satis patet ex Evangelio. Ratio vero est, quia cum Christus esset homo praeditus imaginatione, & appetitu sensitivo, poterat apprehendere laeta, & disconvenientia, & ab illis moveri. Non tamen ferebantur motus illi in illicita, neque rationem praeveniebant, aut voluntatem pertrahebant, ut fit in nobis, esto haberent adjunctam commotionem aliquam, & alterationem corporis, ut dum Christus infremuit spiritu, quod fit ut verè passiones dici possint, quanquam vulgò propassiones, ex Hieronymo appellentur, eò quod nomen passionis ad motus rationi dominantes extendi solet.

R. 17/166

Rursus quod speciatim in Christo fuerit dolor sensibilis patet, quia dolor oritur ex lacione, & divisione continui; at Christus graviter fuit latus, & vulneratus, illiusque caro clavis, spinis, & flagris divisa fuit. Quod etiam tristitia constat tum ex illo *Matth. 26.* Tristis est anima mea, tum quia tristitia oritur ex apprehensione rei nocivæ tanquam præsentis, at Christus mortem imminens apprehendebat, tanquam naturæ nocivæ. Nec obfuit delectatio voluntatis, quæ erat beata; ex dispensatione enim non redundabat in appetitum sensitivum, sicut neque gloria animæ in corpus, unde illius tristitiam non impediabat. Tandem ut alia præteream, Christus timere potuit, ut patet ex illo *Marci 24.* Coepit Jesus pavere, & tremere: ratio est, quia si tristari potuit de malo præsentis, cur non timere futurum?

* *Nec* refert quod illud esset certò eventurum, sufficit enim quod esset malum disconveniens, & futurum: sicut econtra animæ purgatorii sperant beatitudinem, etiam certò eventuram. Hinc Christus de morte tristabatur, eamque timebat; quia per apprehensionem fiebat ei veluti præsens, & re ipsa erat futura.

Dices, In Christo erat fortitudo, ergo non timor. *Distinguo,* non timor rationem præveniens, voluntatemque alliciens ut à recto deflectat, concedo: non timor voluntariè excitatus ex apprehensione mortis, ad ostendendam illius acerbiteriam, & veritatem naturæ, nego.

Quæres, an admiratio fuerit in Christo. *Respondeo* aliquo sensu fuisse, ut patet ex illo *Matth. 8.* Audiens Jesus miratus est. *Et ratio est,* quia etsi omnia sciret, quædam tamen insolita erant ipsius experientia, quod satis est ad admirationem: ut patet, nam Astrologus miratur insolitam eclipsem, quam ante præviderat. Admiratio tamen non erat, in Christo quatenus hæc sumitur pro actu intellectus, quo quis iudicat, rem aliquam superare suam notitiam.

De quibusdam officiis Christi.

RESOLUTIO I. *Christus est caput Ecclesie.*] HOC patet ex Paulo ad Ephes. 1. dum ait, ipsum dedit caput super omnem Ecclesiam. *Accedit ratio*, nam proprium capitis est influere in alia membra, iisque virtutem & motum communicare; at Christus influit gratiam, adeoque vitam & motum supernaturalem in omnia membra Ecclesie, juxta illud *Ioan. 1.* De plenitudine ejus nos omnes accepimus, ergo rectè dicitur caput Ecclesie.

Quo loco advertite 1. Christum ut Deum, esse simul cum Patre, & Spiritu sancto caput invisibile Ecclesie: at verò ut Deum hominem, esse caput visibile illius, adeò ut ipsa humanitas sit veluti ratio formalis qua Christus constituitur in esse capitis visibilis illiusque officium exercet. 2. Christum secundum humanitatem, posse dici membrum capitis illius invisibilis, cujus ratio ipsi ut Deo competit; ut autem est Deus homo, atque adeo caput visibile Ecclesie, non debere dici membrum, sed tantum caput, cum nullum influxum recipiat ab aliis membris, sed à Deo duntaxat. 3. Christum secundum totam humanitatem esse caput hominum quoad corpus & animam, quatenus opus redemptionis perfecit per suam carnem, nosque bene operamur ministerio corporis, nostraque corpora ex meritis Christi resurgunt. 4. etsi Christus sit primario eorum caput, qui ipsi actu ununtur, sive per fidem, sive per charitatem, sive per fruitionem patrie, cum tamen secundaria quadam ratione esse caput eorum qui ipsi tantum ununtur in potentia, sive aliquando, sive nunquam reducenda ad actum perfectum.

Rursus advertite Christum, non tantum hominum, sed etiam Angelorum esse caput, ut sumitur ex verbis illis Pauli ad Coloss. 2. qui est caput omnis principatus, & potestatis. *Ratio autem est*, quia Christus est
capu

caput totius Ecclesiæ, at Ecclesia coalescit non modo ex hominibus, sed etiam ex Angelis; siquidem hic Ecclesia latè vocatur una multitudo ordinata in unum finem, secundùm diversos actus & officia: homines autem & Angeli ordinantur ad unum finem divinæ fruitionis, quare ad eandem Ecclesiam pertinent, Christusque eorum omnium est caput; cum uni corpori plura capita assignari non debeant.

Ceterum qua ratione Christus sit caput Angelorum, controversatur inter authores, qua in re illud videtur certum, Angelos spirituales quendam influxum accipere à Christo, scilicet. revelationes quasdam & illuminationes, & eo saltem modo Christum esse eorum caput. An autem ab illo, seu ex illius meritis etiam acceperint gratiam, hoc ab alia quæstione pendet, ut jam supra observavi.

Dices, Ecclesia debet constare ex capite homogeneo, seu quod sit ejusdem naturæ cum membris suis: at Christus non est ejusdem naturæ cum Angelis, ergo non est eorum caput. *Respondeo* ad rationem capitatis moralis, seu mystici, de quo hic agimus, sufficere quòd in membra influat: sive cum illis in natura specifica conveniat, sive non.

Adverte præterea non modò Christum, sed etiam dæmonem esse caput malorum, quatenus sunt in hac vita. Cum eo tamen discrimine quòd Christus est eorum caput, quatenus in illos interiorius influit gratias actuales, vel etiam fidem: dæmon verò quatenus illos gubernat, & quò vult ducit, malitiam eis exteriorius suadendo. Et quamvis monstruosum sit in rebus naturalibus, eidem corpori varia assignare capita: in moralibus tamen & politicis non repugnat sub vario respectu. Imò neque quòd derur caput capitatis, adeoque etiam dæmon sit caput malorum omnium, id non impediatur quo minùs unus illorum, nempe Antichristus dicatur reliquorum caput, quatenus eos malitia superabit.

RESOLUTIO II. *Christus fuit Sacerdos, & Rex.*]

PRIMA PARS est de fide, & probatur, tum quia Christus se obtulit in ara crucis, & sub speciebus panis, tum quia in sacrificio altaris est primarius offerens, ut dicemus in tractatu de Sacramento. Neque refert quod se non occiderit in cruce, satis enim est quod permiserit se occidi, cum id impedire posset, & ita se obtulerit.

* Non tamen licet inde colligere, martyres sacrificium offerre, quando pro Christo mortem subeunt: quia non sunt à Deo sacerdotes destinati, ad tale sacrificium. Sicut enim potest Deus præscribere cultum sibi exhibendum ad eum ut nullus alius censeatur legitimus: ita ministrum ejusmodi cultus designare potest: quales sunt in nova lege soli Sacerdotes, in veteri vero, ex tribu Levi.

Ut autem hæc clariùs intelligas. *Nota 1.* Christum fuisse Sacerdotem, non successione, aut unctione olei, sed ex unione Verbi qua humanitas illius fuit delibuta oleo divinitatis. Cæterum per potestatem excellentiæ Christus potuit, non solum sacrificium offerre, sed etiam Ecclesiam instituere, & Sacramenta ad salutem necessaria, leges condere pro bono animarum, varias gratias conferre, vicarios constituere ad regendam spiritualiter Ecclesiam, modis ab eo præscriptis: unde non tantum Sacerdotis, sed etiam Legislatoris perfectè munus obiit.

Nota 2. Effectum primarium sacrificii esse expiationem peccatorum, ut liquet de sacrificio crucis, quia Christus mortuus est, ut nos liberaret à peccato & de sacrificio altaris constabit ex tract. citato. Unde cum Christus fuerit impeccabilis, non potuit esse particeps talis effectus: alios tamen participavit, nempe gloriam proprii corporis, sui que nominis exaltationem.

* *Dices,* si Christus participavit fructum aliquem sacrificii; ergo & pro se sacrificium obtulit: Hoc autem repugnat Conc. Alex. Epistola ad Nestorium, approbata in Synodo Ephesina. *Respondeo* r. negari posse

posse sequelam majoris, nos enim, omnium consensu, de fructu sacrificii participamus, etsi pro aliis directa intentione illud offeramus. Quidni ergo simile quid de Christo dici poterit? *Respondeo* 2. non incongruè concedi posse, Christum etiam pro se obtulisse sacrificium, ut impetratorium novi alicujus beneficii: sicut illud obrulit quatenus est Eucharisticum, seu continens gratiarum actionem, pro beneficiis acceptis: neque hoc repugnare Conciliis citatis, quia agunt aperte de sacrificio, ut propitiatorio.

Instabis, ergo etiam dici poterit, Christum pro se mortuum esse. *Respondeo* non sequi, quia Christus pro se mortem non assumpsit, sed pro hominibus assumptam, etiam pro se obtulit, ad obtinendam gloriam corporis, nominisque exaltationem.

Secunda pars ostenditur, quia etsi Christus non fuerit Rex quoad usum, cum pauperem vitam duxerit, habuit tamen in actu primo regiam potestatem in omnes res mundi, quod vel inde constat, quia cum tot aliis prerogativis insignitus fuerit, nulla ratio est cur hæc illi denegetur: præsertim quia alia excellentia ipsi debebantur ratione unionis hypostatice, qui titulus sufficit, ut ea etiam de qua agimus, ipsi concessa fuerit. Quid, quod per se absurdum videtur, eò authoritatem Christi restringere, ut quatenus homo non potuerit sive Angelis, sive hominibus quicquam præcipere, spectans ad regimen temporale, aut politicum universi: Hoc autem non potuisset, si fuisset tantum rex spiritualis, ut volunt aliqui.

Neque dicas 1. quod si Christus esset Rex, etiam in temporalibus, & politicis, eadem potestas summo Pontifici tanquam ipsius Vicario competeret; hoc enim non sequitur, quia Christus non dedit illi totam suam potestatem, etiam in spiritualibus.

Neque dicas 2. frustra poni in Christo potestatem regiam, ad actum nunquam reducendam. Nam in primis idem urgeri potest, de plerisque aliis

facultatibus Christo concessis, quarum usum non habuit. Deinde cum Christus acceperit potestatem regendi Angelos, & homines, tam in spiritualibus, quam in temporalibus, dici potest, eam potestatem non fuisse omnino sine usu: cum Christus, ex parte, seu quoad spiritualia, eam exercuerit.

Unde collige, Christum habuisse dominium in res omnes, & singulas universi. Non enim congruum erat, ut haberet potestatem regiam, omni proprietatis dominio destitutam: cum nullus sit rex qui tale aliquod dominium non habeat. Hoc etiam ad maiorem Christi perfectionem conducit, pleniusque inde verificatur, quod ipse ait *Matth. ultimo*, sibi datam esse omnem potestatem in caelo, & in terra; & quod alibi dicitur, eum esse Regum regem, & Dominum dominantium. Hoc autem intellige de dominio radicali, non de proximo, cum Christus de facto, res omnes universi, tanquam proprias, sibi non applicuerit, adeoque aliorum dominium non exclusit: sicut neque supremum, & absolutum dominium quod habet Deus in omnia, impedit quo minus homines aliquid possideant, titulo dominii.

RESOLUTIO III. *Christus verus fuit mediator.*]
 PROBATUR, nam ille dicitur mediator, qui pacem inter duos dissidentes vult stabilire, qui orat, & satisfacit pro offendente; at Christus haec praestitit pro nobis, ergo, &c. *Hinc* duo sequuntur i. munus mediatoris non distingui reipsa à munere redemptoris. 2. neminem esse posse tam perfecte hominum mediatorem, ac Christus fuit, eò quòd nullus potest pro nobis tam perfecte satisfacere. Alii tamen sancti dicuntur mediatores, quia pro nobis orant, gratias nobis obtinent, & ad reconciliationem disponunt.

Ubi nota non solum humanitatem fuisse mediatricem, sed ipsummet Christum fuisse mediatorem, & redemptorem nostrum: ita scilicet ut per humanitatem tantum elicuerit omnes actus mediatoris, & re-

& redemptoris, ratione verò divinitatis, valorem infinitum illis communicaverit.

Porrò cum ad mediatorē spectet orare, ut iam dictum est, quæri hic potest, an Christus in hac vita oraverit, & adhuc pro nobis oret in cælo. Respondeo 1. Christum in hac vita orasse, ut patet ex Evangelio, quod intellige ut oraverit propriè, nempe aliquid petendo, & non tantum gratias agendo, aut Deum laudando; constat enim aliquid petiisse pro Petro, pro aliis discipulis, pro crucifixoribus ac pro seipso.

* *Respondeo 2.* Probabilius videri Christum in cælo propriè, & formaliter orare, & non solum interpretativè repræsentando passionem suam. Hoc enim non obscure colligitur ex Scriptura cum ait, Christum in cælo pro nobis interpellare, esse nostrum advocatum apud Patrem, &c. Quid, quod ipse Christus *Ioan. 14.* Ego, inquit, rogabo Patrem, & alium Paraclitum dabit vobis; quæ, & similia, sine incommodo, de propria, & formali oratione intelligi possunt. Et ratio idem suadet, quia oratio est excellentissimus Dei cultus, & actus religionis qui valdè decet Christum; aliunde verò charitas qua nos diligit, eum movet ut actu interpellat pro nobis, sicque munus advocati, & mediatoris erga nos melius exercet.

* *Dices 1.* Data est Christo omnis potestas in cælo, & in terra, *Matth. 18.* ergo non opus est ut ille recurrat ad Patrem, ea petendo quæ ipse per se præstare potest. *Verum* etsi id non sit absolute necessarium, non sequitur quod Christus non possit congruè orare, aliàs neque opus erit quod oret interpretativè. Accedit, quod cum tota illa potestas data sit Christo, ex vi Incarnationis, sequeretur eum, etiam in hac vita, superflue orasse.

* *Dices 2.* Nunquam Ecclesia petit à Christo, ut oret pro nobis, sed tantum ut miseriatur nostri. *Respondeo* neque etiam petere, ut pro nobis oret interpretativè; abstinet ergo à tali petitione, non

quòd putet Christum non orare, sed ne detur occasio errandi simplicioribus, qui facilè existimarent, Christum esse merum hominem. Deinde magis honoramus Christum precando, ut nostri misereatur quàm si rogemus, ut oret pro nobis: atque ita nostra oratio, cæteris paribus, potest ipsi esse gratior, nobisque utilior.

CAPUT XX.

De filiatione, predestinatione, & adoratione Christi.

RESOLUTIO I. *Christus ut homo non debet dici Filius Dei adoptivus.*] PROBATUR 1. ex definitione Adriani I. in epistola ad Episcopos Hispaniæ, & Concilii Francofordiensis ad eosdem, contra Eupandum, qui oppositum docebat, 2. *Ratione*, quia ut quis dicatur filius adoptivus, debet esse persona extranea adoptanti, quo fit ut nemo possit adoptare Filium suum naturalem; at Christi persona non est extranea Deo, ergo, &c. *Nec refert quod subsistat in natura extranea, inde enim non fit quòd ipsa sit extranea, cum sit naturaliter conjuncta Patri.*

Dices, Christus ut homo non est filius Dei naturalis, ergo est adoptivus, non enim datur medium. Antecedens ostenditur, quia aliàs in Christo essent tres filiationes naturales, quod hæcenus apud Patres inauditum fuit. Respondeo negando antecedens, ad cuius probationem negatur sequela, Christus enim ut homo, potest dici filius Dei naturalis, eadem illa filiatione quam per generationem æternam à Patre obtinuit: siquidem vox homo, includit naturam & suppositum, quod in Christo ut homine, non aliud est quàm Verbum ipsum ab æterno genitum.

RESOLUTIO II. *Aliquo sensu dici potest de Christo, quòd sit predestinatus, alio minimè.*] HOC ita explico. In primis dici proprie non potest, Verbum fuisse predestinatum ut esset homo, quia illud tantum dicitur predestinari ad aliquid, quod subjacet divinæ gub-

gubernationi, quodque in tempore recipit donum aliquod gratiæ, hæc autem Verbo non competunt. Quia tamen Verbum in tempore factum est homo, dici potest, prædestinatum, seu decretum esse, ut Verbum fieret homo.

Dici etiam potest absolute, Christum esse prædestinatum, Deus enim ab æterno præordinavit ut Verbum uniretur humanitati, in tempore: ergo ab æterno prædestinatus est Christus, qui est terminus illius unionis. Imò, quia tale compositum incepit esse in tempore, dici potest, Christum fuisse prædestinatum ad esse.

Rursum dici potest, Christum esse prædestinatum ad gratiam, & gloriam; quia etsi Verbum non subiaceret divini providentiæ, neque dona recipere posset, secus dici debet de Christo, seu composito ex Verbo, & humanitate, cui verè concessa est gratia, & gloria. Cur ergo ad ea dona prædestinatus dici non poterit? Neque refert quòd ea essent Christo debita ex quadam congruitate, absolute enim non erant ei debita, adeoque simpliciter ipsi gratis concessa fuerunt; quod sufficit ut ad ea prædestinatus dicatur. Hinc potest admitti illa propositio, Filius Dei prædestinatus fuit ad gloriam, si Filius Dei sumatur materialiter, pro supposito Verbi subsistente in natura humana, non si sumatur formaliter, ut sumi solet.

Præterea dici potest naturam humanam fuisse prædestinatam ad unionem hypostaticam, quia hoc est maximum donum quod accepit in tempore: ergo dici potest quod Deus ab æterno eam destinavit ad illam dignitatem. Nec refert quod non dici possit prædestinata ad gloriam, nam quod prædestinatur ad videndum Deum, prædestinatur ad agendum, & actiones sunt suppositorum: in alio vero casu destinatur humanitas ad recipiendam unionem.

Tandem non potest dici absolute, & absque additamento Christum esse prædestinatum ut sit Filius

Dei, quia eo ipso quod est Christus, est Filius Dei, ergo Christus non potest prædestinari ut sit Filius Dei; siquidem res non præstinatur, nisi ad aliquid quod non habet.

RESOLUTIO III. *Christi humanitas adorari potest, eadem quoad substantiam adoratione latriæ, qua ipsum Verbum adoratur; potest etiam aliter quam per latriam adorari.*] PRIMA PARS apertè colligi videtur ex variis Conciliis, & Patribus quorum verba à ple-risque afferuntur. Item ex *S. Thom. 3. p. q. 25. art. 1. & 2.* Ratio verò est, quia ex Verbo, & humanitate fit una persona Christi, eadem autem adoratione qua odoratur persona aliqua, adoratur & natura ejus, ut experientia ostendit; quare cum persona Verbi adoretur suprema latriæ adoratione, idem de ipsius humanitate sentiendum est.

Cum eo tamen discrimine; quod Verbum per se adoratur: seu propter propriam excellentiam, ejus verò humanitas per aliud, seu ratione excellentiæ Verbi. Unde illa non tam dicitur adorari, quàm coadorari, sicut coadoratur pes summi Pontificis, in quo pontificia dignitas, propter quam fit adoratio, per se primò inest.

Secunda pars ostenditur, quia etsi de facto humanitas Christi unita sit Verbo, possumus mente præscindere ab ejusmodi unione, & considerare illam humanitatem cum donis gratiæ, & gloriæ quæ ipsi in perfectissimo gradu concessa sunt, atque ita conceptæ exhibere cultum hyperduliæ

Dubium est autem, an liceat eo modo Christi humanitatem adorare, nonnulli negant, quia cū humanitas Christi mereatur adorationem latriæ, ratione unionis, non potest sine indecentia minor adoratio ei exhiberi. Verùm hæc ratio si quid probat, ut summum probat non debere ita Christi humanitatem adorari, ut solus cultus hyperduliæ ei exhibeatur, quia aliquid ampliùs meretur. At non probat, nefas esse adorare humanitatem illam, omnibus modis quibus hono-

honorem meretur, atque adeò latria propter unionem cum Verbo, & hyperdulia propter dona inferiora, in hoc enim nulla est indecentia. Quare probabilius existimo, posse Christi humanitatem, non modo physicè, sed etiam moraliter & licitè adorari hyperdulia, dummodo saltem superior cultus ei non denegetur; quod sufficit ut absolute aliter quàm latria adorari possit, contra arguentes.

Dices eos damnari à Conciliis, qui duas Christi adorationes inducunt. Sed hoc nil refert, agitur enim de duabus adorationibus Nestorianis, quæ scilicet tendunt ad duas personas in Christo colendas.

RESOLUTIO IV. *Imago Christi dupliciter adorari potest, itemque crux illius.*] PRIMA PARS PROBATUR, suppositâ doctrina Catholica, quæ asserit imagines verè, & propriè adorari, nam in primis fieri potest, ut idem actus adorationis terminetur ad Christum, & ad illius imaginem, quia hoc totum possumus concipere per modum unius. Tunc autem imago Christi non tantùm terminat actum externum qui circa illam fit, sed etiam partialiter affectum internum submissionis huic actui externo conjunctum; quia aliàs imago non verè adoraretur, cum adoratio notam externam submissionis internæ, idque respectu ejusdem essentialiter includat.

Dices, imago non habet in se dignitatem aliquam, ratione cujus debeam illi me submittere tanquam digniori. *Respondeo* satis esse quòd illud totum aggregatum quod adoro, sit dignius me, ut singulis illius partibus me subjiciam; aliàs caro Christi non esset adoranda, cum per se non sit dignior homine, à quo adoratur.

Secundò, imago Christi potest adorari, etiam si ipse Christus non adoretur in recto, sed in obliquo tantùm. Patet à simili, quia etsi proximus ametur propter Deum, non tamèn opus est ut eodem actu Deus in recto, & ut objectum quod, ametur; quamvis etiam propter revelationem Dei essentiarum mysterio

Trinitatis, non est necesse ut idem fidei actus directè feratur in ipsam revelationem. Ergo similiter etsi imago Christi non sit adoranda, nisi propter Christum, ejusque excellentiam, ea poterit adorari; licet eodem actu Christus ipse in recto non adoretur, sed tantum in obliquo.

Dices, Concilia statuunt per imagines, & in imaginibus adorari exemplaria, adorationem imaginis esse adorationem exemplaris, & similia. Verum ista verificari possunt, etiam quando imago sola directè adoratur, quia neque tunc adoratur propter intrinsicam excellentiam, sed ratione exemplaris, & propter dignitatem illius, quod tantum Concilia intendebant, contra hæreticos.

Ex his collige adorationem esse respectivam, quando imago adoratur illo posteriori modo. *Dubium* est autem, an sit etiam respectiva respectu ipsius imaginis, quando fit priori modo. Plerique negant, quia illud totum adoratur propter excellentiam quam in se habet, & non propter excellentiam alterius, ergo adoratio est absoluta, non respectiva. *Malim* tamen distinguere, nam etsi adoratio quatenus totum illud respicit, dici possit absoluta, propter rationem allatam; quatenus tamen partialiter terminatur ad imaginem, congruentius dicenda videtur respectiva, quia etiam tunc imago adoratur propter excellentiam alterius. Porro quæ hæcenus de imagine Christi speciatim dicta sunt, proportionè servata de imaginibus Sanctorum, & adoratione illis exhibita intelligi debent.

Secunda pars ex dictis facile suadet, nam cum crux Christi sit quædam imago ipsius Christi crucifixi, ea duplici modo adorari potest, nempe aut simul cum Christo, aut ita ut actus adorationis directè ad illam tantum terminetur, ad Christum verò indirectè, ut de imagine diximus. Licet autem nonnulli putent adorationem, quando fit priori modo, esse absolutam respectu crucis, probabilius tamen vide-

tur,

tur, in utroque casu esse respectivam, ut ad ipsam crucem terminatur; quia hæc non adoratur, nisi propter excellentiam Christi.

Ubi nota illud discrimē inter crucem, in qua Christus pependit, & alias ad illius similitudinem effictas; quod prior adoratur non solum ut est Christi crucifixi imago, sed etiam quia ob contactum sacratissimi ipsius corporis, inter reliquias illius computatur; alia verò ob priorem tantum rationem adorari debent: unde si amittant figuram crucis; non amplius debent adorari: cum tamen ipsa Christi crux adoretur, etiam quando in minimas partes secatur, etsi tunc non referat Christum crucifixum: quia per contactum ipsius fuit quodammodo consecrata, & sanctificata, quod alia cruce non habent.

RESOLUTIO V. *Beata Virgo non est adoranda latriâ propriè, sed tantum hyperduliâ.*] PRIMA PARS PROBATUR, quia Virgo non est Deus; neque illius imago autoritate Ecclesiæ designata ad eum representandum, neque illius reliquia. Quandiu tamen Christus erat in illius utero, ea poterat latriâ adorari, modo Christus cū illa adoraretur, & ratio adorandi esset increata excellentia Christi, quia tunc accipiebantur per modum unius. Potuit etiam latriâ adorari, tanquam reliquia Christi, propter contactum ejus. Verum Ecclesia non consuevit eam hoc modo adorare, propter periculum errandi, & quia ipsa digna est speciali adoratione.

Secunda igitur pars ostenditur, quia sancti communes adorantur duliâ, propter dignitatem & sanctitatem quam habent, quare Virgo debet adorari modo perfectiori, cum reliquis omnibus sanctis multo sit dignior, & sanctior.

Dices 1. Epiphanium hæresi 79. improbare, quod fœminæ quædam obtulerint tortam panis, aut placentulas Virgini, ergo ea non debet adorari. Non sequitur, quia Epiphanius non aliud improbare intendit, quàm quòd prædicta Virgini offer-
rentur

rentur tanquam sacrificia : hæc enim soli Deo debentur.

Dices 2. Si Virgo adoranda est , ei debetur aliquis cultus distinctus ab hyperdulia , cum hæc tribuatur Apostolis , aliisque viris eximiis. Verum hinc tantum potest colligi , deberi beatæ Virgini excellentiorem hyperduliam, quàm quæ aliis competat.

RESOLUTIO VI. *Reliquiæ sanctorum sunt adoranda.* ITA definitum fuit in variis Conciliis, & patet ex miraculis, translationibus reliquiarum, honore ipsis exhibito , & communi fidelium sensu. *Ratio* idem suadet , quia cum Sanctos adoremus , merito possumus reverentiam exhibere eorum corporibus, aliisque ad ipsos spectantibus.

Dubium est autem, qualis cultus reliquis exhibendus sit. Nonnulli existimant, non posse reliquias adorari, nisi simul adoretur persona cujus sunt reliquiae, ita scilicet ut sola actio externa terminetur ad reliquias, ad personam verò tota submissio interna. Alii dicunt reliquias posse adorari, vel simul cum persona , eademque adoratione absoluta, vel ita ut adoratio terminetur solùm ad reliquias in recto, ad personam verò in obliquo , adeoque adoratione respectiva.

Verum ii probabiliùs loqui videntur, qui contra priores existimant, non tantum cultum externam, sed etiam internum honestè & licitè ad reliquias terminari. Contra posteriores verò contendunt, adorationem reliquiarum esse respectivam, sive solæ in recto, sive simul cum persona adorentur ; eò quòd non debetur illis adoratio propter ipsas , sed tantum propter excellentiam personæ cujus sunt reliquiae, ut in simili de imagine, & cruce Christi supra dictum.

APPENDIX.

De communicatione idiomatum, seu de modo loquendi in hac materia.

RESOLUTIO UNICA. *In Christo admittenda est communicatio idiomatum.*] PROBATUR, nam cum Verbum sit unitum humanitati, ut satis patet ex toto hoc libro, sequitur naturam divinam, & humanam esse unitas in Verbo, & in unitate personæ. Unde fit ut de eadem persona duæ naturæ, itemque earum proprietates prædicentur in concreto, adeoque duplex communicatio idiomatum in Christo locum habeat.

Propter primam duplicis naturæ communicationem in unica persona, vera est illa propositio, Verbum est Deus, & illa, Verbum est homo. Itē quia Verbum est Deus, vera est illa propositio, Deus est homo, in qua etsi nomen, Deus, videatur supponere indeterminatè pro subsistente in naturâ divina, non tamen verificatur nisi de Verbo; imò ex usu communi nomen, Deus, accipitur ibi determinatè pro Verbo.

Ubi nota 1. Illam propositionem, Deus est homo, differre ab hac, Jesus est homo, & ab ista, Christus est homo, quia etsi Deus, Jesus, & Christus ibi significant personam Verbi, tamen cum discrimine; quatenus Deus significat Verbum ut suppositum naturæ divinæ, Jesus ut suppositum humanæ, Christus vero ut suppositum utriusque. Hinc autem sequitur primam propositionem esse contingentem, & duas alias necessarias; item primam esse quidem substantialem, alias verò essentielles, quia essenziale est supposito naturæ humanæ, esse hominem, sive simul aliam naturam terminet, sive non.

Nota 2. Non tantum veram esse propositionem illam Deus est homo, sed etiam istam, Deus factus est homo, quia scilicet in tempore assumpsit humanitatem;

tem; item illam, Deus factus est hic homo, quia assumpsit hanc humanitatem. Neque sensus est, Deum factum esse hoc suppositum, sed tantum, factum esse ut Deus hanc humanitatem assumpserit.

Nota 3. Veram etiam esse propositionem illam, homo est Deus, quia nomē homo supponit pro supposito naturæ humanæ, persona autem Verbi, quæ verè & essentialiter est Deus, est suppositum naturæ humanæ Christi. Non tamen solet admitti illa altera propositio, homo factus est Deus, quia cum vox, homo, supponat pro persona, in Christo autem nulla sit persona præter Verbum, quod per æternam generationem est, Deus, neque unquam incepit habere divinitatem hinc propriè dici non potest, quod homo factus sit Deus.

Dices, interdum Patres illam propositionem usurpant. Verùm in nihil aliud volunt, quàm per Incarnationem factum esse, ut homo sit Deus, qui sensus bonus est.

Propter alteram communicationem dici potest, Christus est æternus, & temporalis; finitus, & infinitus, &c. scilicet ratione diversarum naturarum. Similiter Christus in rigore dici potest creatura, eò quòd illius humanitas in tempore producta est. *Nec refert* quod quidam Patres negent Christum esse creaturam, loquuntur enim de Christo ratione divinitatis, contra Arrianos, qui eum etiam ut est persona divina, minorem faciebant Patre. Ne tamen illis favere videamur, dicendum non est simpliciter Christum esse creaturam, sed tantum secundum humanitatem, quamvis simpliciter dici possit, Christum esse passum, mortuum, & sepultum; quia periculum non est quòd hæc, aut similia dicantur de Christo, ratione personæ divinæ.

Quo loco adverte, quòd etsi per communicationem idiomatum, quæ dicuntur de Deo, dici possint de homine, & vice versa; non tamen quæ conveniunt naturæ divinæ, dici possunt de humana in abstracto, aut

aut econtrà; cùm enim sint naturæ realiter distinctæ, habeantque proprietates realiter distinctas, nõ nisi falso dici potest, unam esse alteram, aut quod prædicatur de una alteri competere. Unde quamvis propter unitatem suppositi subsistentis in natura divina, & humana, rectè dicamus, Deus est homo, & homo est Deus, item Deus est passibilis, & homo est impassibilis; non tamen dici potest divinitas est humanitas, divinitas est passibilis; aut, humanitas est divinitas, humanitas est impassibilis.

Lutherani aliter explicant hanc communicationem idiomatum. Volunt enim proprietates naturæ divinæ esse formaliter communicatas humanitati, nempe omnipotentiam, ubi-quitatem, &c. sed errant ut patet ex variis Conciliis, quæ statuunt, utramque naturam suas retinuisse proprietates. Deinde non est potior ratio de uno attributo, quam de aliis; at humanitas non potest dici actus purus, immortalis, independens, &c. Rursus si humanitas esset omnipotens, contineret rerum omnium possibilium perfectiones ageret independentem à quovis alio, &c. Denique si esset ubique Christus non posset moveri secundum locum, & ita non esset natus in præsepio, suspensus in cruce, &c.

Dices Christus est ubique, Christus est homo, ergo homo est ubique, ergo humanitas est ubique. Hic est cavillatio, nam in prima propositione Christus sumitur pro ipsa persona Verbi, & in secunda, pro Verbo ut unito humanitati: priori modo est ubique, non posteriori, quia etsi Verbum sit ubique, non tamen ubique est unitum humanitati, sed in certo loco duntaxat. Unde & ibi tantum habet rationem Christi.

* *
*